Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/deauctorelibride00bn

ST. MICHAEL'S COLLEGE,
..............Treasure.

DE AUCTORE LIBRI

DE

IMITATIONE CHRISTI

EXCUSUM ANDEGAVIS À LACHÈSE ET DOLBEAU, TYPOGRAPHIS.

DE AUCTORE LIBRI

DE

IMITATIONE CHRISTI

DISCEPTATIO

Quam Thesim Parisiensi Litterarum Facultati

PROPONEBAT

LEO BÉNARD

Professor ad Universitatem aggregatus

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOC.

79, Via dicta Boulevard Saint-Germain, 79

MDCCCXCI

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

OCT 3 1 1931

963

ADMODUM R. DOMINO

Josepho-Julio MAUVIEL

SANCTI SULPITII PRESBYTERO

MAJORIS SEMINARII NAMNETENSIS SUPERIORI

Olerii decus, insignis virtute sacerdos,
Quo florent juvenes auspice sacra cohors ;
Quique sacerdotes facunda voce futuros
Multa, sed exemplis, Vir bone, plura mones,
Est liber eximius quo, Christum pone secuti,
Sub Cruce mortales regna beata petunt !
Ille docet purgare animas, illuminat, unit
Cum Christo : triplici fit via tota gradu.
At quisnam est auctor ? Famæ dum respuit auram :
« Da mihi nesciri », dixit, et usque latet.
Jam multi terrestris honos cui tantum sordeat ante
Quæsivere diu : sedula cura perit.
En eadem aggredior temerarius, et mare tentat
Magnis tentatum navibus arcta ratis.
Num portus ego contigerim Sorbona videbit,
Sorbona et docto vix adeunda viro.
Quidquid erit, meritas liceat tibi solvere grates,
Qui tantam cœptis fers studiosus opem.

Namque mihi quando versanda volumina desunt,
Panditur inde tuæ bibliotheca domus.
Quos habet Ausoniæ tellus, quos Flandria, doctos
Tu mihi concilias, doctus et ipse, viros.
Irrita ne pereant vano mea tempora lapsu,
Tu cellam tota das habitare die.
Parvula cella fuit, simplex et curta supellex :
At quam grata mihi parvula cella fuit !
Ne cellam timeant qui non novere : colenti
Cellula « dulcescit ; continuata » *placet.*
Hic tranquilla quies, nullo turbante tumultu :
Hic cœptum placide mens meditatur opus :
Hicque laborantem tu visere sæpe solebas,
Atque juvare tuis, Optime, consiliis.
Sæpius et dicis : « *Non quadrat, corrige, sodes* » *:*
Admonitusque tuos fervidus aure bibo.
Ergo tuum nostro, propter benefacta, libello,
MALVELI, nomen præposuisse parum est !

L. BÉNARD.

Namnetibus, pridie Idus Julii CIↃ IↃCCC XC.

DE AUCTORE LIBRI

DE

IMITATIONE CHRISTI

CAPUT PRIMUM

HISTORIA DISSIDII STRICTIM REPETITA

I. — Liber *de Imitatione Christi* diu sine auctoris nomine per monasteria circumlatus est, illudque antiquæ fidei monumentum homines mirabantur, minime quærentes quis id struxisset, sicuti non investigabant nomina horum architectorum a quibus fuere ædificata sublimia illa templa cathedralesque ecclesiæ unde tanta duodecimo sæculo priorique tertii decimi parti gloria comparata est. Sunt igitur multi ejus libri codices manu scripti in quibus quod fuerit auctori nomen non indicatum est. Et revera auctorem non noverant : qui quum semet ipse ignorari voluerit *(Da mihi nesciri,* III, xv, 4), reapse ignorabatur ; idque ex eo manifestum est quod, quum circa quarti decimi sæculi finem et quinto decimo sæculo auctoris nomen inscribere inceptum est, tum nomina perquam varia, scilicet S. Bernardi, S. Bonavneturæ, Gersenis, Ubertini Casalensis, Kalkaris, Gersonis,

BGT
2522
.B4

Thomæ a Kempis, multaque alia fuerunt a transcribentibus monachis in variis exemplaribus adscripta.

Inter hos transcriptores præcipuum obtinuit locum Thomas a Kempis, qui et solerti manu et cura scriptionis multam sibi famam adsciverat. Itaque varia quæ scripsit exemplaria Imitationis fuerunt hujus celeberrimi operis quasi quædam editio peculiaris, eo insignior quod scriptor, doctus ut erat et valde pius, plurima menda in aliis exemplaribus admissa potuit corrigere atque opus ad meliorem textum adducere. Proinde Canonici Regulares, quorum in congregationem cooptatus fuerat, de tam egregio labore superbientes, Thomam suum non modo ut bonum librarium laudaverunt; sed, quo decus suo ordini et insignius et perennius præstarent, ad id processerunt ut eum vivum etiam, non ut transcriptorem modo et emendatorem, sed ut auctorem libri haberi vellent; quamvis ipse Thomas modestior sibi tantum librarii partes attribuisset, primaque præcipuorum ejusdem operum editio, tribus annis postquam mortuus erat excusa, anno scilicet 1475, librum *de Imitatione Christi* non contineat.

Vicit tamen proprius ille solitus congregationum in mutuum tutamen suorum ardor, ita ut A Kempis, etiamsi multa repugnarent, acceptus fuerit, in Flandria tota et alibi passim, tanquam venerandi libri auctor titulatus.

Quæ quidem quasi usucapio non unanimo tamen consensu prævaluit, multique manu scripti codices, multæ typis mandatæ editiones libri *de Imitatione Christi* usque ad finem quinti decimi sæculi atque etiam sexto decimo Gersenis aut Gersonis nomen ex usu veteri servarunt : quo quidem spatio temporis controversia intra periodum suæ, ut ita dicam, incubationis continebatur.

II. — Jam ad primos septimi decimi sæculi annos perventum erat quum anno 1606, Aronæ, quæ urbs erat e regione Vercellensi, vetus libri *de Imitatione Christi* codex repertus est, qui, si Mabillioni fides sit, quarto decimo sæculo manu fuerat scriptus, et in quo auctor libri adscriptus erat *abbas Joannes Gessen,* aut *Gersen,* vir cetera omnino ignotus. Quo quidem reperto codice, veluti admoto igne, controversia in flammas erupit, et jam inde longa et vehemens inter Kempistas obstinatos et Gersenistas altercatio exarsit.

Marillacus, anno 1621, quum interpretationem gallicam libri *de Imitatione Christi* ederet (1), in præposito operi ad lectorem monitu Gersenistarum in partes palam concessit, inter quos præcipuus propugnator exstitit Benedictinus Dom. Caïetanus (2). Stetit quoque a Gersene Olivarius Legipont (3) « Germanus Mabillio » nuncupatus ; et anno 1638, Congregatio de Propaganda Fide permisit ut liber *de Imitatione Christi* sub Gersenis nomine typis mandaretur.

Quum hæc agerentur, cardinalis Richelius, postquam primam regiam Luparæ typographiam instituerat, voluit ut primarium ei esset opus et quasi auspicale, excudere librum *de Imitatione Christi* (1640).

Tum hinc Kempistæ, illinc Gersenistæ, tanti viri suffragio et auctoritate niti posse cupientes, suam causam utrinque apud eum scriptis commentationibus tutati sunt. Conventum itaque virorum doctorum elegit cardinalis ad dijudicandam litem ; sed quum conventus iste implicuisset (ut mos est) rem jam implicatam, neque post multas disceptationes exantlatas appareret cuinam demum

(1) *L'Imitation de Jésus-Christ fidèlement traduite du latin.* Paris, 1621, in-12. Sine auctoris nomine.

(2) *Domini Constantini Caïetani SS° Dom. N. a sacris litterarum monumentis et Abbatis S. Baronti ex congreg. Casinensi Ordinis S. Benedicti, pro Joanne Gersen abbate librorum de Imitatione Christi auctore concertatio.* Romæ, 1616.

Anno sequenti in hanc concertationem insurgens, Heribertus Rosweydus librum edidit inscriptum : *Heriberti Rosweydi, e Societate Jesu, Vindiciæ Kempenses pro libello Thomæ a Kempis de Imitatione Christi, adversus Constantinum Caïetanum abbatem S. Baronti.* 1617. — Cui quidem Caïetanus respondit libro edito cui titulus erat : *D. Const. Caïetani..... Concertatio priori editione auctior. Accessit apologetica ejusdem responsio pro hoc ipso librorum auctore adversus Heribertum Rosweydum Societatis Jesu presbyterum.* 1618.

Adversus hanc apologiam Rosweydus libellum evulgavit inscriptum : *Vindiciæ Kempenses pro libello Thomæ a Kempis de Imit. Christ. adversus Const. Caïetanum, abbatem S. Baronti.* Antwerpiæ, 1621, in-8°.

Rosweydo subvenerunt etiam P. Faraudus (*Prosperi Faraudi, Mediolanensis presbyteri, certissima pro Thoma Kempensi argumenta*) et Bollandus (*Joannis Bollandi e Soc. Jes. præfatio qua libri quatuor de Imit. Christ. Thomæ a Kempis Canon. Reg. asseruntur*).

(3) *Histoire littéraire de l'ordre de Saint-Benoît,* part. III, p. 553. Neque hic inter Gersenistas omittendus est Valgravius qui, quum quatuor de Im. Ch. libros ederet, in ea editione concertationem inseruit inscriptam : *Animadversiones apologeticæ Fr. Francisci Valgravii ad titulum et textum quatuor librorum de Imit. Christi.* Parisiis, 1638.

auctori liber jure addictus foret, jussit Richelius regiam editionem sine ullo nomine auctoris evulgari.

Altercatio nihilominus vi etiam majore et ardore continuata est. Ubi enim quis ex una parte ad certandum incurrebat, illico parte ex altera, tanquam in juvenili repagulorum certamine, alius contra alium irruebat (1), aliique utrinque adjutores ita provolabant ut vices prælii, semper a novis militibus redintegrati, neutris unquam victos sese fatentibus, perquam variæ ac multiplices essent.

(1) *Thomas a Kempis vindicatus per unum e Canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini congregationis Gallicanæ.* Parisiis, 1641. Idem liber rursus editus anno 1649, addito P. Joannis Frontonis nomine.

Simonis Werlinii Canonici Reg. Ord. S. August. præpositi Diessensis Vindiciæ novæ Kempenses contra Franciscum Valgravium. Monachii, 1641.

The following of Christ Written in Latine by Thomas of Kempis, etc. Reviewed and in divers things corrected by M. C. (Carré) confessor, etc..., and in this second edition more amply proved him to be the undoubred Autor of this book. At Paris, by M. Blageart, 1641, in-12.

Les IV livres de l'Imit. de J.-C. composez par le dévot Thomas a Kempis, etc. Comme il est constant par les preuves évidentes de Thomas Carré, confesseur des religieuses angloises établies à Paris, alléguées il y a trois ans, contre les conjectures du R. P. Valgrave. A Paris, chez la veuve Blageart, 1644.

Domini Constantini Cajetani, etc. Apparatus ad Gersenem restitutum, item Apologetica responsio adversum Vindicias Kempenses Heriberti Rosweydi e Soc. Jesu, nec non adversum libellos omnes qui ad hanc usque diem pro Thoma Kempensi editi sunt, venerabilium patrum S. Augustini Canonicorum Regul. Italorum, Gallorum, Belgarum, Germanorum, vel aliarum quarumque nationum. Utrumque opus editum una cum quatuor libris de Im. Ch. Romæ, anno 1644, ex typographica officina Sanctæ Congreg. de propaganda fide, superiorum autoritate.

Dell'Imitatione di Christo del venerabile Tomaso de Kempis, etc... Aggiontovi un discorso in prova ché egli ne sia l'autore, da P. D. Prospero Faraudi Milanese Preposto di S. Carlo di Menagio. In Parigi, 1645.

Avis au lecteur par Philippe Chifflet, abbé de Balerne, vicaire général et chanoine de l'église métropolitaine de Besançon, où entre autres choses il montre que Thomas a Kempis est le véritable auteur des Livres de l'Imitation de Jésus-Christ. 1646.

Epistolæ patris Frontonis ad Naudæum et Naudæi ad Frontonem. Hæ epistolæ exstant in limine *Thomæ vindicati*, in editione anni 1649. Adjecta est et Naudæana dissertatio de quatuor codicibus Romæ examinatis.

Simonis Werlini Rosweydus redivivus, id est Vindiciæ Vindiciarum Kempensium pro libello Thomæ a Kempis de Imitatione Christi, adversus Francisci Valgravii præmonitionem et Constantini Cajetani duplicem defensionem. Coloniæ Agrippinæ, 1649.

Dissertatio continens judicium de auctore librorum de Imitatione Christi, auctore Joanne de Launoy. Parisiis, sumptibus J. Billaine, 1649. (Eadem dissertatio iterum edita est anno 1650 et tertio eodem anno multo auctior.)

Joannes Gersen Vercellensis Ord. S. Benedicti abbas librorum de Imit. Christi contra Thomam a Kempis vindicatum Joannis Frontæi Canonic. Reg. Ord. S. Augus-

Incerti prorsus animis erant campi judices : Richelius enim nulla parte steterat ; Gerseni causam Congregatio de Propaganda Fide adjudicaverat ; senatus vero Parisiensis pro Thoma quidem solemnem sententiam, anno 1652, pronuntiavit ; sed idem senatus, anno 1653, licentiam dedit edendi librum Imitationis sub nomine Gersonis.

Tum Gersenistæ, ad nova præsidia confugiendum esse rati, quibus magis innixa res sua staret, undique quærere inceperunt si qui manu scripti codices Gessenis aut Gersenis nomen inscriptum haberent ; quos quatuordecim numero inventos doctorum virorum concilio, annis 1671, 1674 et 1687, examinandos obtulerunt, quique sinceri atque integri fuerunt declarati. Altera autem ex parte, Kempistæ, quum suos et ipsi titulos recognosci et perpendi vellent, aliud doctorum concilium convocarunt ; sed horum congressus in cassum recidit.

tini author assertus a D. Roberto Quatremaires congreg. S. Mauri in Gallia Mon. Bened. Parisiis, sumptibus Joannis Billaine, 1649.

Georgii Heseri e Soc. Jesu Dioptra Kempensis, qua Thomas a Kempis Can. Reg. Ord. S. Aug. candidissimum Germaniæ sidus, demonstratur verus auctor lib. IV de Imit. Christi. Ingolstadii, 1650.

Argumentum chronologicum contra Kempensem, quo Thomam a Kempis non fuisse, nec esse potuisse authorem librorum de Imit. Christi adversus Joan. Frontonis Can. Regul. Thomam a Kempis vindicatum, demonstratur per Franciscum Valgravium. Parisiis, Billaine, 1650.

Refutatio eorum quæ in defensionem Pseudo-Gessenis protulit D. Robertus Quatremaires Mon. Bened.. Item refutatio eorum quæ scripsit D. de Launoy contra Thomam Kempensem. Item refutatio Valgravii. Item Epistola P. Frontonis ad Menagium. Parisiis, 1650. in-8°.

Joannes Gersen Abbas Vercellensis Ord. S. Benedicti auctor librorum de Imit. Christi iterum assertus a D. Roberto Quatremaires, etc..., contra refutationem P. Joannis Fronteau. Paris, 1650.

Georgii Heseri e Societ. Jesu adversus Pseudo-Gersenistas Præmonitio nova. Ingolstadii anno jubilæo, 1650, et Parisiis, apud Seb. Cramoisy, 1651.

Requête servant de factum au procès pendant aux requêtes du Palais, entre Maître Gabriel Naudé, prieur de l'Artige, demandeur en suppression d'injures et de calomnies, contre D. Placide Roussel, prieur de Saint Germain des Prez et D. Robert Quatremaires, son religieux, et aussi contre D. François Valgrave, Religieux Bénédictin et Prieur de Launoy, défendeurs. Ed. prim., 1650. Edit. altera, 1651.

Gabrielis Naudæi Parisini Velitatio prima Kempensis adversus Joannem de Launoy Constantiensem. Parisiis, 1651.

Apologie pour Thomas à Kempis, chanoine régulier de Saint-Augustin, par un chanoine régulier de l'Ordre de Saint-Augustin de la Congrégation de France. Paris, Cramoisy, 1651.

Thomas de Kempis a seipso restitutus, una cum repetitionibus Thomæ Carræi qui sanctimonialibus Anglis Parisiensibus a sacris confessionibus est. Parisiis, 1651.

Tum fuit quædam belli intermissio inter contendentes, quibus et respirare paulisper, et vulnera curare, et nova arma parare necesse erat.

III. — Bellum autem renovatum est anno 1724, semper in acie stantibus hinc Benedictinis pro Gersene, qui fuisse olim Benedictinorum abbas primicerius putabatur, illinc Canonicis Regularibus S. Augustini, e quibus unus Thomas a Kempis fuerat.

Gersenis tamen causa vires sibi magis ac magis acquirebat. Tunc temporis, Josephus Valart, quum persuasum haberet plurima menda Thomam a Kempis in recensendo textu Imitationis aut retinuisse aut etiam admisisse, ipse revisendum librum suscepit, ut talem restitueret qualem a Gersenis calamo ortum esse arbitrabatur. Ergo barbarismos solœcismosque et flandricismos, quibus tam graviter deformatur, expurgare aggressus est : ex quo studio et opere quasi novus exstitit textus, qui usurpatus fuit et in pulchra illa editione a Barbou excusa anno 1758, et in magnifica Luparæ parata editione, 1789; nec non in illa Parmensi, quæ magnificentia ceteras superabat, 1793.

Kempistis vero, ut par erat, sese defendentibus, quum neutri pedem referre vellent, eo usque mutua æmulatione certatim contenderunt ut utrique eum cujus partes fovebant in cœtu Sanctorum aut saltem Beatorum inscribi curarint : namque Benedictini nomen *Beati* Gersenis in ante diem quintum Kal. decembres inseruere ; Thomas autem primo *Venerabilis* declaratus est a Canonicis Regularibus, qui præterea, requisitis ejus reliquiis et feliciter repertis, navarunt operam ut ad Beatificationem promoveretur.

Tum peropportune Pater Ghesquierus, qui ante e Societate Jesu fuerat, in Batavia, in urbe dicta *Kirckheim*, anno 1774, manu scriptum codicem invenit in quo, in nota quadam ad marginem scripta, legebatur opus a Thoma a Kempis, et (quoad saltem tres libros qui in codice continebantur) ante annum 1425 (aut 1424) esse compositum.

Attamen Godescardus, anno 1788, in nota operis sui *(Vie des Saints*, etc...), ubi de hac quæstione disceptavit, Thomæ a Kempis partes tenere non ausus est.

IV. — Et jam ad nonum decimum sæculum pervenimus, qua quidem ætate ardorem et æmulationem religiosorum ordinum

excepit in unoquoque certantium proprium patriæ extollendæ studium. Duo primum Itali scriptores, Napione et Gregory, acri animo Gersenis causam amplexi sunt (Cf. plures commentarios ab anno 1808 ad annum 1827 (1) editos). Tum Kempistæ dormitare videbantur; quo ex somno subito ac terribili impulsu excitati sunt anno 1830, quum Gregory in araneosis quibusdam Parisiensis bibliopolæ Techeneri penetralibus vetustum Imitationis codicem invenit, qui, ut apparebat ex verbis in hoc folio quod volumen protegebat scriptis, ab aliis ad alios veteris familiæ de Advocatis (De'Avogadri) viros transmissus fuerat, quorum posteri etiam tum in urbe vocata *Bielle*, in Vercellensi regione, vivebant. In antiquis autem ejusdem familiæ chartis, cum qua Gregory mutuum inire commercium festinavit, erat ephemeris quædam, *Diarium* inscripta : quo in diario, ad annum 1349, legebatur pretiosum illum et avitum codicem *de Imitatione Christi* Vincentio cuidam de 'Avogadri esse transmissum. Ceterum nulla erat mentio auctoris, seu Gersenis seu cujusvis alius, neque in diario, neque in ipso codice. Verumtamen inscriptus annus 1349 et avitæ ultra hunc annum possessionis fides facta multum obnubilabant affirmata a sectatoribus Thomæ a Kempis tempora.

At Kempistæ saxum illud declinare qua melius possent quum conarentur, adjutor eis processit causidicus quidam nomine Æmilius Cesarini, qui, anno 1835, illa toties repetita pro Thoma a Kempis argumenta denuo iteravit (2).

Maxima tamen ex parte apud Italos prævalebat Gersen, nec deerant in Germania etiam aut in Gallia qui ejus causæ adhærescerent. Anno prorsus 1846, Rohrbacher, in libro *Histoire de l'Église*, pro Gersene signum extulit.

(1) Napione edidit, anno 1808 : *Dissertazione epistolare intorno all'autore dell'Imitazione di Cristo*, Firenze ; — anno 1811 : *Dissertazione intorno al manoscritto de Imitatione Christi, detto il codice di Arona.* Memorie dell'Acad. delle scienze, in Torino et Firenze.

Edidit Gregory : *De la culture du riz en Lombardie.* Parisiis, 1818 ; quo in libro hanc quæstionem attingit ; — *Storia della Vercellese letteratura ed arti, di G. de Gregory*, Torino, Chirio et Mina, 1819-1824. — *Mémoire sur le véritable auteur de l'Imitation*, in-12, Parisiis, 1827.

(2) Cf. Moroni, *Dizion. di erud. storico-eccles.* Art. *Kempis.* Venez, 1846, et *Collezione delle opere minore di Tommaso da Kempis, volgarizzate da Emilio Cesarini. Quarta edizione*, Romæ, 1845.

Sed Thomas a Kempis, anno 1848, defensorem strenuum atque acrem habuit Cl. V. J. B. Malou, tunc canonicum honorarium in urbe Brugis, postea in eadem urbe episcopum. Qui quidem in ampla disceptatione *(Recherches sur le véritable auteur de l'Imitation de Jésus-Christ)*, ad tertiam editionem anno 1858 provecta, summa arte ac vehementia pedetentim luctans, patriæ Flandricæ librum illum vindicavit, quem merito nuncuparis spiritualium litterarum opus perfectissimum.

Hactenus historia dissidii (1).

(1) Post Malou, A Kempis defensorem habuit doctorem Cruise (*Thomas a Kempis*, London, 1888), qui, postquam loca invisit ubi vixerat Thomas, ea tantum argumenta edere potuit quæ toties antea prolata erant. Gersenis partes tutandas susceperunt et A. Ducis (*L'auteur du traité de l'Imitation de Jésus-Christ*, Annecy, 1876), cujus e libello, quamvis multa confusa sint, aliquid excerpere possis, et præcipue Rev. Puyol, qui, jam evulgato Aronensi Imitationis codice (1881) et libro edito doctissimo (*La doctrine de l'Imitation*, 1881), eximios etiamnunc labores, ut ipse mihi scripsit, persequitur.

CAPUT SECUNDUM

DE GERSONE

Nomen Gersonis tum primum in hanc litem adductum est quum Richelius, apparandæ Luparensi illi editioni intentus quam supra (p. 3) memoravi, consilium doctorum instituit. Nam dum Benedictini hinc jura Gersenis tutabantur, illinc vero Canonici Regulares suo Thomæ strenue auxiliabantur, Carolus Labbé, causidicus, cancellarium Universitatis Gersonem, asceticis jam operibus insignitum, proposuit. Sed revera multo prius liber *de Imitatione Christi* Gersoni adscriptus erat, multique codices, quinto decimo et forsan quarto decimo sæculo manu scripti, multæ quinto decimo et sexto decimo sæculo excusæ editiones nomen Gersonis præferunt (1).

(1) Inter quæ referenda sunt præcipua :

1° Codex manu scriptus membranaceus, qui in bibliotheca fuit Sancti-Germani-a-Pratis, nunc est in bibliotheca Parisiorum primaria, n° 13597, et adscriptum habet annum 1460. Cujus in initio legitur : *Incipit libellus devotus et utilis Magistri Joannis Gerson de Imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi ;* et in fine quarti libri : *Explicit quartus liber et ultimus de Sacramento Altaris, anno Domini 1460, 13 Kalend. Septembris.*

2° Codex manu scriptus qui fuit Lechasserii et quem Launoïus studiose depinxit. In primo folio delineata est Gersonis scribentis effigies, doctorali habitu, et pagina sequenti scripta hæc verba : *Incipit liber primus Johannis Gerson cancellarii Parisiensis de Imitatione Christi,* etc. Constat vero ex inscriptionibus hunc codicem esse exaratum ante annum 1497.

3°-7° Sunt et alii manu scripti codices qui nomen Gersonis præferunt sine temporis nota : Cameracensis codex, Reichembergensis, Chigianus, Taurinus, Gregorianus : quos omnes Gregory (*Hist. de l'Imit.,* I, p. 301) descripsit et Malou (*Recherches* .., p. 300) memoravit.

Sunt et codices qui nomen Gersonis habent cum adjecta dignitate : *Cancellarii*

Attamen quot sint illi seu codices seu typis excusi libri, quove etiam ingenio simul et studio patrocinium cancellarii quidam assumpserint (1), supervacaneum prope videtur de jure illius

Parisiensis : quæ copulatio nihil aliud quam fatuam transcriptorum ignorantiam denuntiat. Hos vero codices ad Gersenem pertinere ultra demonstrabimus.

Inter excusas editiones quæ ante millesimum quingentesimum annum prodiere, referenda primum est Brixiensis editio anni 1485, sub nomine Sancti Bernardi, cujus titulus sic inscriptus : *Incipit opus B. Bernardi saluberrimum de Imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi, quod Joanni Gersoni, cancellario Parisiensi, attribuitur.* — Inde liquet hac ætate vulgari opinione Joh. Gersoni opus fuisse tributum.

Triginta quinque editiones ante millesimum quingentesimum annum Gregory (*Hist. de l'Imit.*, I, p. 315) sub nomine Gersonis excusas fuisse affirmavit, inter quas eæ sunt quarum mentio facta est in privilegio quod causidico Labbé, anno 1654, concessum est ut sub Gersonis nomine libri quatuor *de Imitatione Christi* ederentur. Quo in privilegio legitur : « ... *Et il* (Labbé) *en a veu et manié* « *des Latines faites en la seule ville de Paris, en moins de sept ans, jusques au* « *nombre de six, dattées de 1489, 1492, 1493, 1494; et deux d'une mesme année* « *1492; et une plus ancienne que toutes les susdittes, ayant esté faite, ainsi qu'il* « *appert par icelle, des-lors que l'Art d'imprimer a esté invanté et mis en usage, qui* « *a esté en 1442, ou 1459 : toutes portans le nom de Gerson au commancement et à* « *la fin de ce livre de Imitatione Christi ; et après et ensuitte le Traitté de Medita-* « *tione cordis, aussi avec le nom de Gerson.* » Dupin., *Op. Gers.*, vol. I, p. CLXXXVII.

Memorandæ etiam :

Editio Imitationis gallice versæ, Parisiis excusa, anno 1500;

Editiones Venetiis excusæ duodecim eodem tempore, id est ante sextum decimum sæculum ;

Editio Mediolanensis (1488).

Editus quoque postea sæpe liber sub Gersonis nomine, in Gallia præsertim, sed et Vindobonæ (1561) et Romæ (1583) et alias.

(1) Inter hos præcipue annumerandi :

Charles Labbé, in *Synopse ou sommaire des observations de Charles Labbé, pour la restitution du livre* de Imitatione Christi *en son entière splendeur et à son vray auteur Maître Jean Gerson, chancelier de l'Église et Université de Paris*; 1654 ;

Ludovicus Haslé, in thesi quæ Facultati Parisiensi proponebatur, X Kal. feb., 1653 ;

Abbas Lenglet Dufresnoy, 1731, in dissertatione contendit Imitationem primum gallice scriptam esse sub titulo *L'Internelle consolation*, et Gersoni tribuendam ;

Gence, 1869, non semel in *periodico* libello *Journal des Curés*, Parisiis, causam Gersonis defendendam suscepit ;

Idem Gence, in *Biographie universelle*, de Michaud (Cf. Gregory, *Hist. du livre de l'Imitation*, II, p. 215-219) ;

Daunou, in *Journal des Savants*, mense decembri 1826, et octobri 1827 ;

Faugère, in encomio Gersonis, propter quod a Gallica Academia præmium accepit, 1836 ;

Dupré, in encomio Gersonis, quod quoque ab eadem Academia eodem anno coronatum est ;

ST. MICHAEL'S COLLEGE, ...Treasurer

disserere. Nam et ipsi ejus fautores fatentur nullam esse cognationem inter stylum, latinitatem, omnem habitum ejus orationis, et stylum, latinitatem, modum omnem orationis in Imitatione : quod quidem legenti unam paginam de scriptis latinis Gersonis manifesto perspicuum est. Enim vero neque phrasis habet eumdem tenorem, neque eadem est familia vocabulorum.

Ceterum, neque vivus, neque in illis quæ eo defuncto prolatæ sunt operum ejus editionibus, Gerson Imitationis auctor esse assertus est (1).

Sed et de doctrina utique animadvertere est multum differre

O. Leroy, in *Études sur les Mystères*, 1838, et in *Corneille et Gerson dans l'Imitation de Jésus-Christ* ;

Idem, in *Gerson auteur de l'Imitation de Jésus-Christ*, 1845 ;

J.-B. Montfalcon, Lugduni medicus, in libro *De l'Imitation de Notre Seigneur Jésus-Christ, par Jean Gerson, traduite en français, en grec, en anglais, en allemand, en espagnol, en portugais*. Lugduni, 1841 ;

Abbas Carton, in *L'Imitation composée à Bruges par un doyen de Saint-Donat*. Brugis, 1842 ;

Thomassy, in *Les gloires de la France; Jean Gerson, chancelier de Notre-Dame et de l'Université de Paris*. Parisiis, 1843 et 1850 ;

J.-C. Vert, in *L'éternelle consolation ou l'Imitation de Jésus-Christ sous sa forme authentique du XVe siècle, avec specimens de 1390 à 1480*. Tolosæ, 1854 ; et in pluribus aliis scriptis.

(1) Vivo etiam Gersone, ejus operum catalogus a fratre factus est, in quo libri *de Imitatione Christi* nulla mentio fuit. Etenim Joannes Gerson, cancellarii frater, cui nomen omnino idem erat, Cælestinorum prior, quum anno 1423 ab alio Cælestino invitatus esset ut opera cancellarii recognosceret, catalogum scripsit, qui ad nos pervenit, accurate distributum, in quo nusquam librum de Imitatione indigitatum videmus.

Sex annis postea, nondum mortuo cancellario (1429), Jacobus de Ciresio iterum hunc catalogum transcripsit, cui subscripsit, cum annotationibus, quorumdam Gersonis opusculorum titulos, quæ illi videbantur utiliora aliis et digniora quæ animos converterent. Neque is libri de Imitatione mentionem fecit.

Quum Gerson obierit hoc anno (1429), nullius scriptum ad nos delatum est quo asseratur illo tempore Imitationem Gersoni esse adscriptam. Vetustissimum testimonium præbent Lovaniensis et Antuerpiensis editiones, et præsertim editio illa Brixiensis ex qua colligi potest, ut vidimus, tunc temporis, anno scilicet 1485, multos jam Gersonem ut auctorem Imitationis habere. Sed quo tempore talis opinio orta sit nescimus.

Neque habetur Imitatio inter opera Joannis Gersonis in editionibus Coloniensi, anno 1483 parata, Argentinensibus, annis 1494 et 1514 ; Basileensi, annis 1489 et 1518 ; Parisiensibus, 1521 et 1606.

Ellias Dupinus ex illa magnifica editione Gersonianorum operum, quam anno 1706 paravit, quamvis in præposita libro disceptatione Gersonem defendisset, Imitationem tamen expunxit.

Gersonem ab Imitatione in quæstione summa ac præcipua, scilicet de *Gratia*. Discipulus enim Petri de Alliaco, nominalistæ profecto fervidi, eique in Parisiensi Universitate cancellarius successor datus, non alienus fuit ab his erroribus quibus, negata *objectiva* archetyparum idæarum realitate, in discrimen ipsa fides in supremum illum archetypum Deum adducitur. Haud dubie quidem, Gerson judicio recto et fide sincera impeditus est quominus in hanc foveam præcipitaret. Qua autem via ipse ad Deum pervenit? Illa scilicet quam *intuitionem immediatam* appellat, e quo sane fundamento procedit omnis theologia ejus mystica : « *Theolo-* « *gia mystica scientia procedens ex immediatis intuitionibus.* » (Cf., quod ad textum et partim quod ad explanationes attinet, V. Cousin, lectionib. anni 1828, nona lect.)

Igitur, ut corporis oculis quod est concretum et corporeum videmus, sic mentis quasi oculis et acie ad Dei notitiam pervenimus et cum Deo ipso communicamus. Ubi vero sic aditus ad Deum patuit, ipse Deus in nos omnia dona sua ita infundit, ut anima nostra, amore capta, supra se extollatur, a terrenisque evagata, superiorum claustra penetret, et reapse Deum intuens et cognoscens, incalescat visu, spiritualique afflatu intumescat. « *Præstat* « *mystica quod effectum jungat intelligentiæ hominemque* « *elevet supra se ipsum, ubi incalescit ex cognitione experi-* « *mentali illabentis in se Dei.* »

Inde ille raptus mentis et illi impetus quibus tota in Deo absorbetur et ad ultimum mysticæ finem provehitur : « *Mysticæ finis* « *supremus est raptus mentis, qui quidem raptus etiam exces-* « *sus mentis dicitur, ita ut mens tota in Deo quem unice amat* « *absorpta quiescat.* » At semper proficiscitur tota hæc mystica et in Deo absorptio a motu mentis spontaneo, scilicet ab « *intui-* « *tione* » suscitante in nobis « *vim cognoscitivam* » sive « *intelligentiam* », quæ subinde patet ipsis Dei emanationibus : ita ut ratio, velut pons quidam, interjungat hominem et Deum, corporalia et spiritualia. « *Ratio autem in horizonte duorum mundorum,* « *videlicet spiritualis et corporalis, constituitur.* »

Alius longe sermo, alia doctrina in Imitatione, cui hæc Gersoniana « *intuitio* » omnino ignota est, non secus atque illa *vis animæ cognoscitiva*. Ibi enim non per mysticam anima sese a semet ipsa exuit atque, in conspectum Dei quasi rapta, ejus essentiam contemplatur, sed per gratiam : « *Ad hoc magna requi-*

« *ritur gratia quæ animam levet et supra se ipsam rapiat* » (III, xxxi, 2), ita ut potis fiat « *in excessu mentis stare et videre* « *te omnium creatorem cum creaturis nil simile habere* » (III, xxxi, 1). Hic est « *mentis raptus sive excessus* », cujus Gerson vocabula usurpat effectusque enuntiat, sed verum et unicum fontem, Gratiam dico, supplantat.

Gratia prorsus gratuitum omnino donum est neque ab « *intelli-* « *gentia* » etiam « *cum affectu juncta* » pendet. Hæc gratia « *supernaturale lumen et quoddam Dei speciale donum est et* « *proprie electorum signaculum* » (*Imit.*, III, liv, 17) ; hæc est « *aurum ignitum* », hæc « *pretiosa margarita a multis abscon-* « *dita* » (III, xxxii, 3 et 4). Quantum vero distat Gersoniana illa « *cognitio experimentalis* » ab hac tam intenta et veræ fidei congrua prece : « *O lux perpetua, cuncta creata transcendens* « *lumina, fulgura coruscationem de sublimi, penetrantem* « *omnia cordis mei intima; purifica, lætifica, clarifica et vivi-* « *fica spiritum meum, cum suis potentiis, ad inhærendum tibi* « *jubilosis excessibus* » (III, xxxiv, 3).

Ratio autem, hæc superba ratio, quæ se prædicare velit ducem esse et lumen hominibus, quid aliud est nisi tenuis scintilla quæ casui nostro superfuit, parvum et caliginosum lumen quod nostrarum cupiditatum tenebras illuminare nequeat? « *Modica vis quæ* « *remansit tanquam scintilla latens in cinere. Hæc est ipsa* « *ratio naturalis, circumfusa magna caligine, impotens adim-* « *plere omne quod approbat, nec sanitate affectionum suarum* « *potitur* » (III, lv, 2). Nil sane inter hanc theologiam et illam Gersonianam commune est.

Quamvis hoc argumentum, in quo de gratia agitur, qua in quæstione auctor unus et idem tam diversa excogitare non potuerit quam quæ hinc apud Gersonem, illinc in Imitatione leguntur, firmissimum sit et legentibus fidem plane facere debeat, haud tamen inutile quæ a scriptoribus præcipua argumenta jam allata sunt breviter enumerare.

Dictum igitur jam ab aliis comprobatumque est :

1º Auctorem Imitationis a bonis terrestribus omnino abalienatum apparere; Gersonem autem de sua egestate conquestum, atque ob Sancti Donati beneficium litigasse, tum quum jam Bur-

gundiæ ducis eleemosynis esset præpositus et simul canonicus Nostræ Dominæ Parisiensis. Hæc ipsius Gersonis verba documento sint, ex litteris excerpta in quibus egestatem suam, litem, multasque alias res conquestus, de relinquenda cancellarii dignitate deliberat : « ... *Cogor etiam in temporali vita quasi mendicare,* « *et despectus vivere, cum mediocritas aurea, non amara paupertas, sit tutissima, secundum exigentiam status, cum alibi* « *abundanter habeam, et menagium jam providerim, quod cum* « *detrimento oporteret relinquendo dissipare, et cum grammaticalis et pueris vivere.*

« *Cogor pro vivendo decanatum tenere, ubi proficere verbis et* « *exemplis sum astrictus, et tamen si non resideam in cancellaria, sciunt omnes, est juramentum, quale murmur, quale* « *detrimentum, et qualiter jure vocabor monstrum biceps,* « *ambitionis insuper, immo dejerationis exemplum putabor.*

« *Cogor liti pro adjuncto Beneficio vel cedere cum irrisione* « *et damno, vel cum fortissimo et insuperabili hoste in æternum dimicare...*

« *Cogor ad præbendam noviter anhelare : me quoque et* « *amicos meos huic novæ curæ subjicere...* » (Dupin., *Op. Gerson.*, vol. IV, col. 726.)

Num quid commune est his verbis et illis quæ in multis Imitationis locis de despectu bonorum terrestrium magnifice scripta sunt ?

2° Auctorem Imitationis famam esse dedignatum et nesciri voluisse; Gersonem omni ope atque opera enisum ut sua omnia scripta, non amoto auctoris nomine, evulgarentur, ita ut Cælestinis ea mandaverit, ut post auctoris mortem magna cura servarentur et legenda communicarentur ; qua de re monemur epistola quadam ad Cælestinos in qua hæc leguntur : « ... *Visum est mihi* « *commodius in Cælestinis, velut in quibusdam cælis aut cælestibus habitaculis, thesaurum hunc* (libros scilicet) *reponere,* « *maxime quia duos in illa religione germanos habui professos... Sit thesaurus iste custodiendus in sacro conventu vestro* « *apud Avinionem, non quidem alienandus, sed nec prorsus* « *abscondendus, immo communicandus hinc et inde, prout* « *superioris industria judicabit ; ita tamen quod semper recolligantur sub propria clave vel armariolo ad hoc ipsum specialiter instituto. Denique nomina librorum et tractatuum*

ST. MICHAEL'S COLLEGE,

« *tam ab aliis quam a me compositorum disposui colligere in* « *speciali schedula... Scriptum Lugduni, anno gratiæ 1428, in* « *novembri.* . » (Dupin., *Op. Gerson.*, III, col. 760.)

3° Imitationem animi tranquillitate ac serenitate, et simul linguæ jucunditate esse præclaram ; apud Gersonem aliquid esse sæpe durius atque asperius, quippe qui tantis certaminibus et angustiis fuerit exercitus ; adeo ut doctor ille, licet *Consolatorius* nuncupatus sit, Imitationem, mirum scilicet de interna consolatione librum, componere non potuisse videatur.

4° Auctorem Imitationis sanctitate vitæ, caritate, et humili subjectione notabilem videri, Gersonem autem, quamvis non ingenio tantum, sed et integritate morum, et multis virtutibus fuerit conspicuus, non semel immansuetum sese præstitisse atque ita indulsisse iracundiæ ut papas atque etiam paparum dignitatem vehementius fuerit aggressus. Quum enim hæc in Imitatione inveniantur (I, XVI, 2) : « *Si quis semel aut bis admonitus non* « *acquiescit, noli cum eo contendere : sed totum Deo committe,* « *ut fiat voluntas ejus...* », num horum verborum scriptor Joannem Huss ad ignem damnatum voluisset (1) ? Illi etiam qui a Gersone stant eum non satis linguæ temperasse confitentur. Sic Vert (*Études historiques et critiques sur l'Imitation de Jésus-Christ*, p. 61) : « *Nous parcourons, pénétré à la fois de tristesse et* « *d'admiration, les discours, les traités, les notes que l'infa-* « *tigable et vigilant docteur, député du roi au Concile* (de Cons- « tance), *prodigua pour ramener un peu de répit et de calme* « *sur l'horizon bouleversé par des orages sacrilèges : époque* « *malheureuse où le serviteur le plus fidèle de la papauté était* « *contraint de parler et d'agir contre des hommes portant le* « *titre de pape...* »

5° Non eodem vitæ statu degisse Gersonem, quo Imitationis auctor. Etenim quamvis doctus scriptor Vert, in *Études historiques et critiques*, Imitationis auctorem non monachum fuisse declaraverit, multi tamen eumdem religionem monasticam fuisse professum demonstrarunt, nosque infra ostendemus (cap. III), inspecto ad amussim opere, eum non modo monachum, sed monasterio præpositum, perquam diu in monasterio vixisse.

(1) Cf. Henric. Martin, *Histoire de France*, quarta edit. V, 550 et VI, 194.

Neminem autem fugit Gersonem fere omnem ætatem inter sæculares homines, magnis rebus intentum, egisse, paucis exceptis annis quibus Brugas (1401-1402), Melicium (1417-1418), Lugdunum ad fratrem (1419-1429) recessit. Brugis vero non inter monachos vixit, sed in illo decanatu quem a duce Burgundiæ acceperat. Ceterum per hos viginti menses quum librum composuerit, *La Montagne de contemplation*, et epistolis pluribus reformandæ Parisiensi Universitati operam navarit, et forsan librum alium exararit, *La Mendicité spirituelle*, quomodo Imitationem tam exiguo temporis spatio scribere potuisset ?

6° Quod autem ad Melicium et Lugdunum attinet, non in his urbibus Imitationem a Gersone compositam esse affirmatum est : exstare enim codicem anno 1406 scriptum (1), ut ex dierum et annorum indice quodam patet, in initio fere libri collocato, preces ad usum monachorum continentem, in quo multa esse Imitationis fragmenta ; colligendum igitur librum de Imitatione jam antea evulgatum et codices fuisse eo anno anteriores. (Vide hoc argumentum fusius explanatum apud A. Loth, *Revue des Questions historiques*, vol. XIII, p. 558-599.)

Quum autem non fieri possit ut Gerson auctor Imitationis esse merito existimetur, qui fit ut ejus nomen tot exemplaribus libri hujus præfixum fuerit ? Una via est explanandi rem : scilicet si admittamus Gersonis cancellarii nomen, utpote inclytum et illustre, ignoto *Gersenis* nomini per transcriptores monachos substitutum fuisse. Neque diffitear Gessen, potius quam Gersen, esse genuinum nomen viri, quoniam in quibusdam codicibus ita scriptum apparet, et corruptela ex attractione alterius nominis facile orta fuerit. Ut res sit, apprime intelligo nomen Gersenis cessisse Gersoni ; sed nullatenus video qui pote foret Gersonem cessisse Gerseni. Unde fit ut, etiamsi unum unicum existeret exemplar Imitationis nomine Gersen inscriptum, mihi fidem faciat id unicum exemplar de jure Gersenis.

(1) Nunc est in Bibliotheca Parisiensi primaria (*Cabinet des Estampes*, côté E, a², Réserve).

CAPUT TERTIUM

GERSEN MONACHUS ET ABBAS

A. — I. Nihil inest dubitationis quin pro monachis proprie ac totum scriptum sit opus *de Imitatione Christi*. Namque et capita nonnulla (I, XVII, XVIII, XIX, XX, XXV ; — III, XIII, XLIX) iis nominatim sunt assignata, et in omnibus fere aliis ex multis locis perspicuum est de monachica vita semper agi (Cf. I, III, 5 ; XI, 5 ; XIII, 6 ; XXI, 3 ; XXII, 7 ; XXIII, 2 ; — II, IX, 6 et 7 : — III, X, 2 et 6 ; XII, 3 ; XX, 5 ; XXXII, 2 et 3 ; XLV, 3, § 5 ; LVI, 5 et 6). Quartus demum liber monachum ad culmen suæ professionis provectum, id est in officio sacerdotali, considerat. (Cf. IV, XI, 8 : « *Nos qui officium sacerdotale suscepimus* » ; adde : II, 5 ; III, 3 ; IX, 5, etc.)

Quinetiam non sine aliqua injuria credatur aureum id opus ad seculares homines pertinere. Si ita sit, quî nos laudare possimus quod tam sæpe et stricte jubeat sese totum ac penitus de mundo ac rebus humanis abstrahere et divellere ? Num personis inter nexus jugales pacto legitimo ac christiano implicitis, et quas cuncta familiæ atque affectus humani vincula sibi vindicant, num iis, dico, lege quadam indici potest ut, remotis omnibus terrestribus nodis, omnem amoris, amicitiæ, consanguinitatis ac propinquitatis sensum et officium rejiciant ac repudient ? Durum id : « *Ita mortuus esse debes talibus affectionibus, ut (quantum* « *ad te pertinet) sine omni humano optares esse consortio.* « *Totum vanum existima, quidquid consolationis occurrit de* « *aliqua creatura. A notis et a caris oportet elongari, et ab* « *omni temporali solatio mentem tenere privatam : O quanta* « *fiducia erit morituro, quem nullius rei affectus detinet in*

« *mundo!* » (III, xlii, 1; — II, v, 3; — III, liii, 1 et 2. — Adde : I, xx, 6, § 3; xxiii, 9; — II, viii, 5, etc.)

Quod autem immodicum est et, ut ita dicam, invium iis qui sorte sua ac justo vivendi genere inter homines retinentur, idem contra omnino æquum fit ac naturale illis qui sese monasticæ vitæ officiis devinxerunt : ea enim abdicat quidquid ad colendum Deum non spectet, et soli Deo sese unice addictam profitetur.

Itaque in Imitatione agi nusquam video de doloribus domesticis, de adversis fortunæ casibus, de multis iis cruciatibus quibus sæcularis vita tam sæpe turbatur atque angitur ; sed contra exhortationes et consolationes congerit, quibus tædia et molestiæ, quæ patitur in vita communi monachus, facilius tolerentur.

Monasterium vero, in iis arctis finibus quibus religiosorum vita continebatur, erat quasi altera hominum societas, alter et quasi curtatus ac deminutus terræ orbis, quo in orbiculo eædem cupiditates agitabantur quæ in magno illo theatro quod foris erat. Nimirum ubique homo est unus et idem ; unde fit ut liber ille pius, quamvis peculiariter monachis destinatus, tot præceptis, tot de rebus et hominibus rectis judiciis refertus sit, quæ laïcæ etiam vitæ congruunt. Nil mirum igitur quod reginæ atque imperatores, quod inclyti duces famaque nobiles ac virtute magistratus, præsertim quum adversa ingruerent, hunc librum manu assidua versarint (1). Nec solum iis qui, quum magnas res tractarent, quam nihil sint melius didicere, divinus ille liber profuit, sed etiam privatis et inter communia degentibus, qui in eodem libro abunde inveniunt, sive, dum juventa florent, salutares monitus, sive, in matura ætate aut declinante, perennem ac vivum fontem, e quo pacem internam hauriunt ac reficiuntur.

II. — Illa autem sententiarum sublimitas et tam perita humani cordis scientia, illudque acumen eloquii et familiaris ille simulque vividus ac fortis sermo, in quibus nullus liber Imitationem æquiparat, vix sinunt arbitrari auctorem fuisse unum e gregariis

(1) Maria Stuart, Henrica de Francia (Boss., *Or. fun., sub. fin.*) : Ferdinandus II, imperator « *quotidie vel unum caput ex libello de* Imitatione Christi, « *vel aliquot ex eo selectas sententias legebat* » (Puyol, *La doctrine de l'Imitation*, p. 49) : Montmorency, cujus caput præcisum est anno 1632 : Michael de Marillac, in carcere ; Ludovicus XVI, in Templo, etc.

monachis, sed potius indigitant eum tanquam primarium inter fratres et eis præpositum. Cujus quidem admonitiones et præcepta plenam Superioris curam ac sollicitudinem denuntiant, summumque studium pro spirituali fratrum suorum profectu. Hos enim quam perseveranti opera hortatur ad mutuam tolerantiam piamque concordiam (I, XVI, XVII, XIX, XXV ; — II, II, etc.), ad sanctam illam humilitatem (III, XLI, etc.) obedentiamque et propriæ voluntatis abdicationem (I, IX ; — III, XIII, XXXII, etc.), qua sola via ad subli-miora itur ! Quam fervido spiritu eos ad virtutem instanter allicit, quantoque affectu accendit ad imitandum Sanctos Patres (I, XVIII, etc.), et, quoad in illis fuerit, ipsum Jesum Christum (I, XVIII, 2 : — III, XIII, 2).

Eos etiam monet ut omnem sæcularem scientiam repudient, nec se vanis scholarum disputationibus implicent, sed ad veri luminis immutabilisque veritatis scientiam, id est ad verba ac præcepta Magistri magistrorum, Unici atque æterni Doctoris sese convertant ejusque legem sanctam assectentur (III, XLIII, etc.).

Denique iis ostendit quantum et extra omnem comparationem positum præmium eorum fidelitati præliisque et laboribus reservetur, atque in illis ardorem excitat evolandi ex hujus orbis tribulationibus ad illa gaudia quibus Electi in cælesti sede perfruuntur. III, XLVIII, 1 : « *O supernæ civitatis mansio beatissima ! o dies* « *æternitatis clarissima, quam nox non obscurat, sed summa* « *veritas semper irradiat ; dies semper læta, semper secura, et* « *nunquam statum mutans in contrario ! O utinam dies illa* « *illuxisset, et cuncta hæc temporalia finem accepissent ! Lucet* « *quidem Sanctis perpetua claritate splendida ; sed non nisi a* « *longe, et per speculum peregrinantibus in terra.* — III, « XLVIII, 2 : *Norunt cæli cives quam gaudiosa sit illa ; gemunt* « *exules filii Hevæ, quod amara et tædiosa sit ista* (1). »

(1) Liceat nobis pulcherrimum hunc locum gallicis quoque verbis repræsentare : « *O fortunée demeure de la cité céleste ! O brillant éclat du jour éternel, jour sans* « *nuit et que la vérité suprême illumine de ses perpétuels rayons, jour rempli d'une* « *immuable joie, d'une sécurité infaillible, et constamment semblable à lui même !* « *O plût à Dieu que je fusse déjà au sein de cette splendeur, et que toutes les choses* « *temporelles eussent pris fin pour moi ! Elle brille pour les Saints, cette perpétuelle* « *et pure clarté ; mais nous qui sommes encore pèlerins sur la terre, nous ne la* « *voyons que de loin et comme par le reflet d'un miroir. Ils savent, les citoyens du* « *ciel, de quelle félicité cette lumière divine est la source, pendant que, dans leur*

III. — Sed perpetuo videmus ex his mandatis et præscriptis quam fuerit rectori illi, docendarum animarum periti, difficile susceptum munus, quam sæpe repetendus labor. Monasticæ enim vitæ miserias in eo libro quasi per rimulas introspicimus, invidiam scilicet vellicationesque et jurgia intestina (II, III : — III, XXVIII ; XLIV, 1 ; XLVI ; LIV, 16 ; LVII, 1 et 2 ; — IV, IX, 6), surdas etiam humanæ superbiæ rebelliones contra quotidianam ac sine intermissione subjectionem (I, VI ; — III, IV, 4 ; VI, 7 ; IX, 2 ; XLIX, 5, 6 et 7), multorum in observanda Regula teporem (I, XI, 5 ; XVIII, 6 ; XXIII, 2 ; — IV, VII, 2) ; ex adverso nimium aliquorum intempestivumque ardorem in peculiaribus pietatis exercitationibus (I, XIX, 5 ; — III, VII, 2 ; XI, 4) ; altera ex parte perpetuas illas inevitabilesque tentationes per quas antiquus hostis conabatur in unoquoque veterem hominem resuscitare et carnis fervoribus spirituales ardores opprimere (I, XIII ; XIX, 4, § 3 ; — III, XXIX ; XXXIX, 4 ; XLVIII, 5 ; LI, 1 ; LVII, 3 ; — IV, X, 2).

Apprime intellexerat vigilans ille sagaxque magister nil esse homini, vel si monachus sit, id est sub jugum obedientiæ libenter adstrictus, nil durius esse quam illa propriæ voluntatis perpetua jactura, multo sane durior quam vigiliæ, jejunia, corporis voluntarii cruciatus, omnes pœnitentiarum acerbitates. Quocirca monitus suos de hac re sæpissime redintegrat. (I, IX ; XX, 2 ; XXV, 7 ; — II, XII, 1 ; — III, XIII, 2 ; XLIX, 5 et 6). — I, IX, 1 : « *Valde magnum est in obedientia stare, sub prælato vivere et sui juris* « *non esse. Multo tutius est stare in subjectione quam in prælatura. Multi sunt sub obedientia magis ex necessitate quam* « *ex caritate : et illi pœnam habent et leviter murmurant.* » — III, XIII, 1 : « *Qui se substrahere nititur ab obedientia ipse se* « *substrahit a gratia. Qui non libenter et sponte sua superiori* « *se subdit, signum est quod caro sua necdum perfecte sibi* « *obedit, sed sæpe recalcitrat et remurmurat... Disce ergo* « *celeriter superiori tuo te submittere, si carnem propriam*

« *exil, les fils d'Héva gémissent en l'amertume et l'ennui.* » Hic forsan animadvertere est antiquam illam σοφίαν jam ad id cacumen sublimis visûs sese quasi evexisse, et tales imagines, velut præsensione quadam, adumbrasse. Ita Homerus (Odyss., VI, 42 ; Cf. Lucr., III, XVIII, et Verg. Æn., VI, 40) Olympum radiantem descripsit : « *Sedem immutabilem Deorum, sedem ventorum ac tempestatum injuriis* « *inaccessam ; ibi panditur innubila serenitas candidusque ambit splendor ; ibi* « *in immortali felicitate dii infinitis gaudiis perfruuntur.* »

« *optas subjugare.* » — III, XIII, 2 : « *Disce obtemperare, pulvis ;* « *disce te humiliare, terra et limus, et sub omnium pedibus* « *incurvare. Disce voluntates tuas frangere et ad omnem sub-* « *jectionem te dare.* » — III, XIII, 3 : « *Ita subjectum et parvulum* « *te exhibe ut omnes super te ambulare possint et sicut lutum* « *platearum conculcare.* » — III, XXXII, 3 : « *Utinam ad hoc* « *pervenisses ut ad nutum pure stares ejus, quem tibi præposui* « *patris.* » — III, XLIX, 5 : « *Durum tibi videtur ad nutum* « *alterius ambulare et omne proprium sentire omittere.* » — III, XLIX, 6 : « *Pro modica voluntate, quam nunc sponte* « *deseris, habebis semper voluntatem tuam in cælis.* »

IV. — Quæ autem intra monasterii claustra fuerint varia exercitia monachorumque labores legentibus Imitationem cognoscere in promptu est : communis scilicet omnium definitis horis precatio et religiosi cantus (IV, VII, 2), sacrorum librorum et eorum qui a Patribus exarati sunt lectio (I, V ; — II, IX, 6 ; — III, LI, 2. § 3), corporalia exercitia ac labores (I, XIX, 4, § 5 : — III, XXXI, 5 ; LI, 2), manu scriptorum codicum transcriptio (III, XXXI, 5 : XLVII, 2): et præ omnibus cella, cella videlicet quæ « *continuata dulcescit* » (I, XX, 5), et in qua solum habeas cohabitatorem Jesum Christum, semper præsentem, semper adorandum (I, XX, 5, 6 et 8).

Quum autem aliquando in eodem monasterio mille et ducenti monachi conversarentur, quî fieri poterat ut dociles ac ferventes sese præstarent tot homines quorum nonnulli aut inculti erant. aut desidiæ plus æquo amatores, et vitam religiosam amplexi erant non tam matura electione et a Deo ipso vocati, quam fortuito quodam occursu et quasi incauti ? Videres igitur eos omni data occasione utentes ut relaxationem et oblectationem extra monasterium quærerent (I, VIII, 1; XI, 1; III, XXXII, 1 ; LIV, 11 ; — IV, VII, 2), varios a foris rumores referentes (I, XX ; — III, LIV, 17), inconsiderate de superioribus et de re quacumque garrientes (I, XX ; XXI, 3), discordias foventes (I, XVI, XVII, XIX ; — II, 3), suæ vero ipsorum naturæ et indolis emendationem flocci facientes (I, XVII).

Erat quoque in monasteriis, ut ubique, hominum natio illa verbis inconsiderata, vaga in amicitiis, inconsulta et inconstans, homines scilicet quibus nulla fides haberi poterat, veri HABLADORES, quorum levitatem ipse bonus noster abbas quandoque expertus

esse videtur. — III, XLV, 4 : « *Doctus sum damno meo, et utinam* « *ad cautelam maiorem, et non ad insipientiam mihi ! Cautus* « *esto (ait quidam), cautus esto, serva apud te quod dico. Et* « *dum ego sileo, et absconditum credo, nec ille silere potest* « *quod silendum petiit, sed statim prodit me et se, et* « *abiit* » (1).

Pestis autem generis alius in monasteriis fuit, morbus quidam inveteratus disputandi de abstrusis et penitioribus theologiæ quæstionibus. Quid enim inter se quotidianis colloquiis monachi agitassent, nisi id in quo tota eorum vita versabatur ? Etiam in cella, ubi latuit orans, monachus mentem suam his quæstionibus arreptam sæpe sensit, et seditionem cogitationum suarum expertus est. Idcirco suos prudens moderator abbas crebro admonet caveant temerarias curiositates : « *Noli discutere opera Altissimi...* « *Cave de istis curiose tractare quæ tuam scientiam excedunt.—* « *Taceant omnes doctores... Cui æternum verbum loquitur, a* « *multis opinionibus expeditur... Curiositas nostra sæpe nos* « *impedit in lectione Scripturarum, quum volumus intelligere* « *et discutere, ubi simpliciter esset transeundum. — Caven-* « *dum est tibi a curiosa et inutili perscrutatione, si non vis in* « *dubitationis profundum submergi. Multi devotionem perdi-* « *derunt, dum altiora scrutari voluerunt. Noli disputare cum* « *cogitationibus tuis. Ratio humana debilis est et falli potest ;* « *fides autem vera falli non potest. Omnis ratio et naturalis* « *investigatio fidem sequi debet, non præcedere nec infringere.* « *Nam fides et amor ibi maxime præcellunt. Si talia essent* « *opera Dei ut facile ab humana ratione caperentur, non essent* « *mirabilia nec ineffabilia dicenda. Qui scrutator est majestatis*

(1) Gallice : « *Je l'ai appris à mon dam, et puisse cette leçon me servir ! Soyez* « *discret, me dit un tel, gardez pour vous ce que je vous dis ; et pendant que je* « *me tiens bouche close, et que je pense la chose bien cachée, lui ne peut taire ce* « *qu'il a recommandé de ne pas dire : l'instant d'après, il se trahit lui-même, et* « *moi du même coup, et le voilà parti.* » Cf. apud Theophrastum (XXIV, 8) hunc quemdam qui, tibi forte occurrens, quamprimum in aure instillat arcana quædam magni momenti, ut asserit ; « *Sed, inquit, rem habe tacitam ; secretum nempe est.* « *Quo dicto, te properatim relinquit et currens, discurrens, totam urbem gnaram* « *rei facit.* » « Δεῖ δὲ αὐτὸ σὲ μόνον εἰδέναι · πᾶσι δέ τοῖς ἐν τῇ πόλει προσδεδράμηκε « λέγων. » Θεοφρ. Περὶ λογοποιίας. Græcus auctor comta quidem brevitate jucundus : sed Imitationis narratiuncula lepidum aliquid et in se perfectum habet.

« *opprimetur a gloria.* » III, IV, 5 ; LVIII, 7 ; — I, III, 2 ; V, 2 : — IV, XVIII, *et passim*).

V. — Hæc monita optime quidem vitæ monasticæ conveniunt. Quod si tamen ea ad vitam laïcam convertas, non erunt, pleraque saltem, huic vitæ absona. Etenim superquam quod ad nos attrahere possumus quæcumque in universum et humanæ conditionis miserias attingunt (I, XXII ; — II, VIII ; III, XX ; XXI, 3 ; XLVIII), et tristem illam animi inconstantiam secum discordantis, nunc scilicet gloria ac superbia tumidi, nunc indigna afflictione depressi (I, II, XII ; — II, VIII : — III, VI, 7 ; IX, 2, etc.), et communem omnium propensionem, qua nimis male de aliis, de nobis autem bene nimis sentimus (I, IV, 1 ; — II, III, 1 et 2 ; V, 1 ; — III, XXIV), et in disputando pertinaciam (I, XI, 2 et 3 ; XXV, 1 ; — III, IV, 2 ; XLVIII, 2), et amplarum præbendarum sitim (I, III ; III, III), et facilem lapsum verborum (III, XLV), nec non et curiosam inquisitionem super alterius vita (III, XXIV) ; præter hæc omnia, inquam, quoties homo qui, multis jam peractis lustris, non sane ad res vitæ novus est, quoties in Imitatione offendit quæ ipse jam antea observatione et usu percepit, fluxam scilicet amicorum fidem (III, XLV, 2), linguas obtrectatorum (III, XXVIII), vana hominum judicia (III, XXXVI) ! Num in monasteriis tantum inveniuntur illi homines quibus omne munus, dignitas omnis, omnis honos alteri collatus videtur furto ipsis ablatus (III, XLI ; XLIX, 4), aut qui indesinenter contumelias quas dicunt sibi illatas queruntur (I, XIX ; — III, XVIII), aut qui se paratos profitentur hoc vel illud pati, dummodo non ab hoc vel illo homine patiantur (III, XIX, 2), qui quidem is ipse est a quo id pati officium eis est ? Quam sæpe in sæculari vita accidit ut nobis tædium facerent quidam homines inexhausta facundia (I, IV, 2 ; X, 2 et 3 ; XX, 2 ; — III, XXXVI, 1 ; XLV, 5), homines videlicet cavillatores et ad captiunculas proni, quorum os garrulum intricat omnia, quosque jam Ecclesiastic. (IX, 25) notavit his verbis : « *Terribilis est in civitate sua homo linguosus* », et iterum (VIII, IV) : « *Non litiges cum homine linguato, et non strues ligna in ignem ejus !* » Nonne etiam, quum amoris divini vim et ardorem depingit, simul et humani amoris imaginem quamdam effingit, his verbis (III, V, 4 et 5) : « *Amor onus non sentit, labores non reputat, plus affectat quam*

« *valet, de impossibilitate non causatur, quia cuncta sibi posse* « *et licere arbitratur : valet igitur ad omnia, et multa implet* « *et effectui mancipat, ubi non amans deficit et jacet... Si quis* « *amat, novit quid hæc vox clamet.* »

Has et consimiles sententias, toti libro inspersas, si velis sub definitis quibusdam titulis per ordinem congregare, jam inde conflatur tractatus moralis, brevis quidem, sed perutilis, cujus adumbrationem hic efferre aggrediar.

TRACTATUS MORALIS EX LIBRO DE IMITATIONE EXCERPTUS

a. — DE HOMINE GENERATIM

« Omnes quidem bonum appetunt, et aliquid boni in suis dictis vel factis prætendunt : ideo sub specie boni multi falluntur. Natura callida est, et multos trahit, illaqueat et decipit, et se semper pro fine habet... Pro suo commodo laborat, et quid lucri ex alio sibi proveniat attendit... Libenter honorem et reverentiam accipit... Otium amat et quietem corporalem... Quærit habere curiosa et pulcha, abhorret vilia et grossa... Cupida est et libentius accipit, quam donat... Inclinat ad vanitates et discursus... Nihil gratis facere potest, sed aut æquale aut melius, aut laudem vel favorem, pro benefactis consequi sperat, et multum ponderari sua gesta et dona concupiscit... Gaudet de amicis multis et propinquis, gloriatur de nobili loco et ortu generis, arridet potentibus, blanditur divitibus, applaudit sibi similibus... Appetit scire secreta et nova audire. Vult exterius apparere (III, LIV, 1, *sqq.*).

« Ex te semper ad nihil tendis, cito laberis, cito vinceris, cito turbaris, cito dissolveris (III, IV, 3, § 4). Ingemisce et dole, quod adhuc ita carnalis sis et tam plenus concupiscentiarum motibus..., tam cupidus ad multa habenda, tam parcus ad dandum, tam tenax ad retinendum; tam inconsideratus in loquendo, tam incontinens in tacendo;... tam subito commotus ad iram, tam facilis ad alterius displicentiam; tam pronus ad judicandum, tam rigidus ad arguendum : tam lætus ad prospera, tam debilis in adversis ; tam sæpe multa bona proponens, et modicum ad effectum perducens (IV, VII, 2).

« Omnis homo mendax, infirmus, instabilis, et labilis maxime in verbis : ita ut statim vix credi debeat quod rectum in facie sonare videtur (III, XLV, 3, *ult.*). Vanus est qui spem suam ponit in hominibus aut in creaturis (I, VII, 1). Quam sæpe ibi non inveni fidem, ubi

me habere putavi! Quoties etiam ibi reperi, ubi minus præsumpsi! Vana ergo spes in hominibus (III, XLV, 1). Noli confidere super amicos et proximos (I, XXIII, 5) : rarus fidus amicus, in cunctis amici perseverans pressuris (III, XLV, 2, § 4); inimici hominis, domestici ejus (III, XLV, 4).

« O Domine, quousque venimus! Ecce damnum defletur temporale, pro modico quæstu laboratur et curritur : et spirituale detrimentum in oblivionem transit, et vix sero reditur (III, XLIV, 2). Pro modica præbenda longa via curritur; pro æterna vita, a multis vix pes semel a terra levatur. Vile pretium quæritur, pro uno numismate interdum turpiter litigatur, pro vana re et parva promissione diu noctuque fatigari non timetur (III, III, 3, § 5).

« Magnam habet cordis tranquillitatem, qui nec laudes curat, nec vituperia... Non es sanctior, si laudaris; nec vilior, si vituperaris (I, VI, 2, *ult.*). Non ægre feras, si quidam de te male senserint et dixerint quod non libenter audias... Non sit pax tua in ore hominum : sive enim bene, sive male interpretati fuerint, non es ideo alter homo (III, XXVIII, 1). Quid enim sunt verba, nisi verba? Per aerem volant. sed lapidem non lædunt... Ecce, si cuncta contra te dicerentur, quæ fingi malitiosissime possent, quid tibi nocerent, si omnino transire permitteres, nec plus quam festucam perpenderes? (III, XLVI, 1 et 2, § 4). Etiam si minus libenter audis et indignationem sentis, reprime te, nec patiaris aliquid inordinatum ex ore tuo exire, unde parvuli scandalizentur (III, LVII, 2, § 2).

« Sæpe male agimus, et pejus excusamus (II, V, 1, § 4). Nam quia despici metuis, reprehendi pro excessibus non vis, et excusationum umbracula quæris (III, XLVI, 1, *extr.*).

« Viam perfectionis agnosco. et qualiter agere debeam clare satis video; sed propriæ corruptionis pondere pressus, ad perfectiora non assurgo (III, LV, 3, *extr.*). « Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua »; et nisi succurrat divina medicina, labitur homo mox ad pejora (IV, III, 3. Cf. *Gen.* VIII, 21). Fac quod in te est, et Deus aderit bonæ voluntati tuæ (I, VII, 1, § 4).

b. — DE PASSIONIBUS

« Quandocumque homo aliquid inordinate appetit, statim in se inquietus fit... Si autem prosecutus fuerit quod concupiscit, statim ex reatu conscientiæ gravatur, quia secutus est passionem suam, quæ nihil juvat ad pacem quam quæsivit. Resistendo igitur passionibus invenitur pax vera cordis. non autem eis serviendo (I, VI, 1, *sq.*)... Et hoc

deberet esse negotium nostrum, vincere videlicet seipsum, et quotidie seipso fortiorem fieri atque in melius aliquid proficere (I, III, 3, § 7)... Illa etiam studeas magis cavere et vincere, quæ tibi frequentius in aliis displicent (I, xxv, 4, *extr.*)... Si modicam violentiam faceremus in principio, tum postea cuncta possemus facere cum levitate et gaudio... Si non vincis parva et levia, quando superabis difficiliora? Resiste in principio inclinationi tuæ et malam dedisce consuetudinem, ne forte paulatim ad majorem te deducat difficultatem (I, XI, 4, *sq.*)... Antiqua consuetudo difficulter relinquitur (I, XIV, 3)... Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris (I, XXV, *ult.*)... Suaviter requiesces, si cor tuum te non reprehenderit (II, VI, 1)... Nil sic maculat et implicat cor hominis, sicut impurus amor in creaturis (II, I, 8, § 3). Noli concupiscere quod non licet habere (III, XXVII, 1, § 5). Frena gulam, et omnem carnis inclinationem facilius frenabis (I, XIX, 4, § 3). Sis intimus liber et tui ipsius potens, ut sint omnia sub te, et tu non sub eis; ut sis dominus actionum tuarum et rector, non servus, nec emptitius (III, XXXVIII, 1).

« Noli credere affectui tuo, qui nunc est, cito mutabitur in aliud (III, XXXIII, 1). Sæpe homo rem vehementer agitat, quam desiderat; sed quum ad eam pervenerit, aliter sentire incipit : quia affectiones circa idem non sunt durabiles, sed magis de uno ad aliud impellunt (III, XXXIX, 3).

« Ego, inquit Dominus, non cesso omnibus loqui, sed multi ad vocem meam surdi sunt et duri (III, III, 3).

C. — DE PROPRIO AMORE ET SENSU

« Ex hoc vitio, quod homo semetipsum nimis inordinate diligit, pæne totum pendet (III, LIII, 3). Non te extollas de magnitudine vel pulchritudine corporis, quæ modica infirmitate corrumpitur et defœdatur; non placeas tibi ipsi de habilitate aut ingenio tuo;... non te reputes aliis meliorem;... jugis pax cum humili, in corde autem superbi zelus et indignatio frequens (I, VII, 2 et 3, *extr.*).

« Nostra opinio et noster sensus sæpe nos fallit et modicum videt (I, III, 1). Sicut nobis res cordi est, sic de ea frequenter judicamus; nam verum judicium, propter privatum amorem, faciliter perdimus (I, XIV, 1, § 2). Ultra proprium videre nemo libenter ducitur (I, XIV, 3). Qualis unusquisque intus est, taliter judicat exterius (II, IV, 2).

« Multi occulte se ipsos quærunt in rebus quas agunt, et nesciunt (I, XIV, 2). Sæpe videtur esse charitas, et est magis carnalitas, quia

naturalis inclinatio, propria voluntas. spes retributionis, affectus commoditatis raro abesse volunt (I, xv, 2). Passione interdum movemur. et zelum putamus (II, v, 1. § 5). Difficulter homo exuitur a se ipso (II, ix. 2). Scito quod amor tui ipsius magis nocet tibi quam aliqua res mundi. Secundum amorem et affectum quem geris, quælibet res plus vel minus adhæret (III. xxvii. 1, § 2) : « Omnes enim quæ sua sunt quærunt » (III, lix. 2. Cf. Phil., ii. 22).

« Tu bene scis facta tua excusare et colorare, et aliorum excusationes non vis recipere (II, iii, 2).

d. — DE PRUDENTIA IN AGENDO

« Magna sapientia non esse præcipitem in agendis (I. iv. 2). Cave ergo ne nimium innitaris super desiderio præconcepto, ne forte postea pœniteat aut displiceat quod primo placuit et quasi pro meliore zelasti (III, xi, 4). Quis est homo qui ita caute et circumspecte in omnibus se cutodire valet, ut aliquando in aliquam deceptionem vel perplexitatem non veniat ? (III. xlv. 2). Nunc proponis cavere, et post horam agis quasi nihil proposuisses (I, xxii, 6, § 3).

« Qui laxiora quærit et remissiora, semper in angustiis erit. quia unum aut reliquum illi displicebit (I, xxv, 7, *extr.*).

e. — DE SCIENTIA SÆCULARI

« Quiesce a nimio sciendi desiderio, quia magna ibi invenitur distractio et deceptio (I, ii, 2) : omnis speculatio nostra quadam caligine non caret (I. iii, 4). Beati simplices, quoniam multam pacem habebunt... atque sibi libere vacare poterunt (I, xi, 1, § 3 et nº 2) : multum autem contrariatur supernæ visitationi falsa libertas animi et magna confidentia sui (II, x, 2). Quidam... quadam curiositate et arrogantia ducti volunt secreta mea scire et alta Dei intelligere (III, iv, 4, § 5) : possunt quidem verba sonare, sed spiritum non conferunt ; pulchriter dicunt. sed cor non accendunt (III, ii, 2). Melius est sapere modicum, cum humilitate et parva intelligentia, quam magni scientiarum thesauri cum vana complacentia (III, vii, 3, § 3) : expedit interdum refrenatione uti. etiam in bonis studiis et desideriis (III, xi, 4. § 3). Beata simplicitas, quæ difficiles quæstionum relinquit vias. et plana ac firma pergit semita mandatorum Dei ! (IV, xviii. 2).

f. — DE TRIBULATIONIBUS

« Nemo est in mundo sine aliqua tribulatione vel angustia, quamvis rex sit vel papa (I, XXII, 1). Quis omnia prævidere, quis præcavere futura mala sufficit? Si prævisa etiam lædunt, quid improvisa nisi graviter feriunt? Sed quare mihi misero non melius providi? Cur etiam tam facile aliis credidi? (III, XLV, 3, § 3). Dispone et ordina omnia secundum tuum velle et videre, et non invenies nisi semper aliquid pati debere, aut sponte aut invite... Aut enim in corpore dolorem senties, aut in anima spiritus tribulationem sustinebis: interdum a Deo relinqueris, interdum a proximo exercitaberis et, quod amplius est, sæpe tibimet ipsi gravis eris. Credis tu evadere quod nullus mortalium potuit præterire? (III, XII, 3, § 3, 4, 6). Una tentatione seu tribulatione recedente, alia supervenit, et semper aliquid ad patiendum habebimus (I, XIII, 3). Oportet te aliorum graviora ad mentem reducere, ut levius feras tua minima. Et si tibi minima non videntur, vide ne et hoc tua faciat impatientia (III, XIX, 1, § 4). Si libenter crucem portas, portabit te... ; si invite portas, onus tibi facis et teipsum magis gravas, et tamen oportet ut sustineas (III, XII, 5). In omni re reperietur aliquis defectus, et in omni loco erit qui adversetur (III, XXVII, 2, *extr.*). Oportet te sæpe agere quod non vis, et quod non vis oportet relinquere. Quod aliis placet, processum habebit; quod tibi placet, ultra non proficiet. Quod alii dicunt, audietur; quod tu dicis, pro nihilo computabitur. Petent alii, et accipient; tu petes, nec impetrabis. Erunt alii magni in ore hominum, de te autem tacebitur. Aliis hoc vel illud committetur, tu autem ad nihil utile judicaberis. Propter hoc natura quandoque contristabitur: et magnum, si silens portaveris,... maxime autem quum disconvenientia, et quæ minus utilia tibi apparent, fieri jubentur (III. XLIX, 4, §5), Nec dicas: Non valeo hæc ab homine tali pati, nec hujusce modi mihi patienda sunt; grave enim intulit damnum, et improperat mihi quæ nunquam cogitaveram; sed ab alio libenter patiar, et sicut patienda videro. Insipiens est talis cogitatio... Non est verus patiens, qui pati non vult, nisi quantum sibi visum fuerit, et a quo sibi placuerit (III, XIX. 2, § 2 et 3).

« Quando etiam modicum adversitatis occurrit, nimis cito dejicimur (I, XI, 3, § 3). Nam patientiam omnes recommendant, quamvis pauci tamen pati velint (II, XII, 13, § 2). Videntur in bona pace stare quando res pro eorum velle fiunt et sentire: si autem aliter

fit quam cupiunt, cito moventur et tristes fiunt (I, xiv, 2, § 3). Multi enim sunt qui, quum non bene eis successerit, statim impatientes fiunt aut desides (III, vii, 2). Satis virilis es quamdiu nil obviat adversi ; bene etiam consulis, et alios nosti roborare verbis : sed quum ad januam tuam venit repentina tribulatio, deficis consilio et robore (III, lvii, 1, § 5). Tu scis, Domine, quod modicum possum pati, et quod cito dejicior, levi exsurgente adversitate (III, xix, 5, § 3).

« Quando tu æstimas pæne totum perditum, tunc sæpe majus merendi instat lucrum : non est totum perditum, quando res accidit in contrarium (III, xxx, 3, § 6) : dat sæpe Deus in uno brevi momento, quod longo negavit tempore (IV, xv, 1, *extr.*).

g. — DE VITA HUMANA

« Non potes, anima mea, aliquo bono temporali satiari, quia ad hæc fruenda non es creata (III, xvi, 1, *ult.*). Omnis perfectio in hac vita quamdam imperfectionem sibi habet annexam (I, iii, 4). Conemur quantum possumus, adhuc leviter deficiemus in multis (I, xix, 3, § 2, *extr.*). Nam « homo proponit, sed Deus disponit, » nec est in homine via ejus (I, xix, 2, *extr.*). Quid importat sollicitudo de futuris contingentibus, nisi ut tristitiam super tristitiam habeas ? « Sufficit diei malitia sua » : vanum est et inutile de futuris conturbari vel gratulari, quæ forte nunquam evenient. Sed humanum est hujusmodi imaginationibus illudi, et parvi animi signum (III, xxx, 2, *extr.*, et 3). Cras est dies incerta ; et quid scis si crastinum habebis ?... Quum mane fuerit, puta te ad vesperum non perventurum ; vespere autem facto, mane non audeas tibi polliceri... Multi subito et improvise moriuntur... Quam multi decepti sunt et insperate de corpore extracti ! Quoties audisti a dicentibus quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens cervicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit ! Alius igne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio interiit (I, xxiii, 1, *extr.*, et 3, 7)... Et quomodo potest amari vita, tantas habens amaritudines, tot subjecta calamitatibus et miseriis ? Quomodo etiam dicitur vita, tot generans mortes et pestes ? Et tamen amatur, et delectari in ea a multis quæritur. Reprehenditur frequenter mundus, quod fallax sit et vanus, nec tamen facile relinquitur (III, xx, 4). Diligunt hanc miseram et corruptibilem vitam ; nam in tantum quidam hanc amplectuntur, licet etiam vix necessaria laborando aut mendicando habeant, ut si possent hic semper vivere, de regno Dei nihil curarent (I, xxii, 3). Melius est nunc tempestive providere et aliquid boni præmittere... Dum tempus habes, congrega

tibi divitias immortales (I, xxiii, 5 et 8). Nam comedere, bibere, vigilare, dormire, quiescere, laborare, et ceteris necessitatibus naturæ subjacere, vere magna miseria est (I, xxii, 2).

« Dicunt multi imbecilles et infirmi : ecce, quam bonam vitam ille homo habet ! quam dives, quam magnus, quam potens et excelsus ! (I, xxii, 2). Esto, ita sit ut habeant quidquid voluerint, sed non sine amaritudine et tædio ac timore in suis gaudiis quiescunt ; ex eadem namque re unde sibi delectationem concipiunt, inde doloris pœnam frequenter recipiunt (III, xxii, 3 et 4). Et si dixerint : In pace sumus, non venient super nos mala, et quis nobis nocere audebit ? Ne credas eis, quoniam repente exsurget ira Dei, et in nihilum redigentur actus eorum, et cogitationes eorum peribunt (II, vi, 1, § 8). Hodie homo est, et cras non comparet. Quum autem sublatus fuerit ab oculis, etiam cito transit a mente (I, xxiii, 1). Jam eorum præbendas alii possident, et nescio an de eis recogitant. In vita sua aliquid esse videbantur, et modo de illis tacetur (I, iii, 5, § 4).

« Dies hujus temporis parvi et mali, pleni doloribus et angustiis : ubi homo multis peccatis inquinatur, multis passionibus irretitur, multis timoribus stringitur, multis curis distenditur, multis curioritatibus distrahitur, multis vanitatibus implicatur, multis erroribus circumfunditur, multis laboribus atteritur, tentationibus gravatur, deliciis enervatur, egestate cruciatur (III, xlviii, 2, § 2).

« Qui hodie tecum sunt, cras contrariari possunt, et e converso sæpe ut aura vertuntur (II, i, 3).

« Lætus exitus tristem sæpe reditum parit, et læta vigilia serotina triste mane facit (I, xx, 7).

« Quam multis nocuit virtus scita, ac præpropere laudata ! (III, xlv, 5, § 5). Quandoque accidit ut persona ignota ex bona fama lucescat, cujus tamen præsentia oculos intuentium offuscat. Putamus aliquando aliis placere ex conjunctione nostra, et incipimus magis displicere (I, viii, 2, § 2 et 3).

« Cito decipieris, si ad externam hominum apparentiam tantum aspexeris (II, vii, 3).

« Imaginatio locorum et mutatio multos fefellit (I, ix, 1, *extr.*).

« Bonum nobis est quod aliquando habeamus aliquas gravitates et contrarietates, quæ sæpe hominem ad cor revocant (I, xii, 1).

h. — DE VIVENDO CUM ALIIS

« Proh dolor ! sæpe malum facilius quam bonum de alio creditur et dicitur, ita infirmi sumus. Sed perfecti viri non facile credunt omni enarranti, quia sciunt infirmitatem humanam, ad malum proclivam

et in verbis satis labilem. Magna sapientia non quibuslibet hominum verbis credere, nec audita vel credita mox ad aliorum aures effundere (I, iv, 1 et 2). Multi multa loquuntur, et ideo parva fides est adhibenda (III, xxxvi, 1, § 3). In multis oportet te esse inscium,... et multa oportet surda aure pertransire (III, xliv, 1). O quam bonum et pacificum de aliis silere, nec indifferenter omnia credere, neque de facili ulterius effari, paucis seipsum revelare,... nec omni vento verborum circumferri ! (III, xlv, 5).

« Non omni homini reveles cor tuum »... Cum juvenibus et extraneis rarus esto ; cum divitibus noli blandiri, et coram magnatibus non libenter appareas...Charitas habenda est ad omnes, sed familiaritas non expedit (I, viii, 1 et 2). Cave a multiloquio (IV, xii, 4, § 3) : vellem me pluries tacuisse et inter homines non fuisse. Sed quare tam libenter loquimur et invicem fabulamur, quum tamen raro sine læsione conscientiæ ad silentium redimus ? Ideo tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab invicem consolari quærimus, et cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare ; et multum libenter de his quæ multum diligimus vel cupimus, vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui et cogitare (I, x, § 3, *sq.*). Si te subtraxeris a superfluis locutionibus et otiosis circuitionibus, nec non a novitatibus et rumoribus audiendis, invenies tempus sufficiens et aptum pro bonis meditationibus insistendis (I, xx, 1). Malus usus et negligentia profectus nostri multum facit ad incustodiam oris nostri (I, x, 2, § 4). Facilius est omnino tacere, quam verbo non excedere (I, xx, 2).

« Multam possemus habere pacem, si non vellemus nos cum aliorum dictis et factis, et quæ ad nostram curam non spectant, occupare (I, xi, 1). Quid enim ad te, utrum ille sit talis vel talis, aut iste sic et sic agit vel loquitur ? (III, xxiv, 1). Sed et de aliorum dictis vel factis nil temere judices, nec cum rebus tibi non commissis te implices (III, xxv, 3, § 2). Quomodo potest ille diu in pace manere, qui alienis se curis intermiscet ? (I, xi, 1, § 2). Non attrahas tibi res aliorum, nec te implices causis majorum (I, xxi, 3). Tantum homo impeditur et distrahitur, quantum sibi res attrahit (II, i, 7, *extr.*). Est non parva prudentia, silere in tempore malo (III, xxviii, 1, § 4).

« Oportet quod discas teipsum in multis frangere, si vis pacem et concordiam cum aliis tenere (I, xvii, 1). Propter diversitatem sensuum et opinionum satis frequenter oriuntur dissensiones inter amicos et cives (I, xiv, 2, § 4). Verum est quod unusquisque libenter agit pro sensu suo, et inclinatur ad eos magis qui secum sentiunt... Ergo, noli nimis in sensu tuo confidere, sed velis etiam libenter aliorum sensum audire... Audivi enim sæpe securius esse audire et accipere consilium, quam dare... Nolle aliis acquiescere, quum id ratio aut causa postulat, signum est superbiæ et pertinaciæ (I, ix, 2 et 3).

Magna sapientia est non pertinaciter in propriis stare sensibus (I, IV, 2) : relinquamus etiam quandoque nostrum sentire, propter bonum pacis (I, IX, 2, § 2) : utilius est oculos a rebus displicentibus avertere et unicuique suum sentire relinquere, quam contentiosis sermonibus deservire (III, XLIV, 1, § 3). Non est magnum, cum bonis et mansuetis conversari (hoc enim omnibus naturaliter placet, et unusquisque libenter pacem habet, et secum sentientes magis diligit); sed cum duris et perversis, aut indisciplinatis, aut nobis contrariantibus, pacifice posse vivere, magna gratia est, et laudabile nimis virileque factum (II, III, 2).

« Homo passionatus etiam bonum in malum trahit et faciliter malum credit... Qui bene in pace est, de nullo suspicatur; qui autem male contentus est et commotus, variis suspicionibus agitatur : nec ipse quiescit, nec alios quiescere permittit. . Aliis sunt graves, sed sibi semper graviores. Sunt qui seipsos in pace retinent, et ad pacem alios reducere student (II, III, 1 et 3).

« Noli tibi attrahere, si videas alios honorari et elevari, te autem despici et humiliari (III, XLI, 1) : multo tutius est stare in subjectione, quam in prælatura (I, IX, 1).

« Parva in aliis reprehendimus; et nostra majora pertransimus. Satis cito sentimus et ponderamus quid ab aliis sustinemus; sed quantum alii de nobis sustinent non advertimus : qui bene et recte sua ponderaret, non esset quod de alio graviter judicaret (II, V, 1, § 6). Libenter habemus alios perfectos, et tamen proprios non emendamus defectus;... volumus quod alii stricte corrigantur, et ipsi corrigi nolumus ; displicet larga aliorum licentia, et tamen nobis nolumus negari quod petimus : alios restringi per statuta volumus, et ipsi nullatenus patimur amplius cohiberi. Sic ergo patet quam raro proximum sicut nos ipsos pensamus... Nunc autem sic Deus ordinavit, ut discamus alter alterius onera portare : quia nemo sine defectu, nemo sine onere, nemo sibi sufficiens, nemo sibi satis sapiens; sed oportet nos invicem portare, invicem consolari, pariter adjuvare, instruere et admonere (I, XVI, 2, *extr.*, 3 et 4). »

Hæc et multa alia regendis moribus et pietati informandæ apta, quæ ad aperturam fere libri passim obvia sunt, ansam dedere plerisque interpretibus ut Imitationem habuerint tamquam exemplar rectæ vitæ omnibus Christianis propositum, quamvis sit simpliciter manuale pro vita monastica dispositum.

CAPUT QUARTUM

SEQUITUR DE GERSENE MONACHO ET ABBATE

B. — Monachus igitur fuit, ut ex iis quæ diximus apparet, auctor Imitationis, et, ut verisimillimum est, monasterio præpositus. Possumusne autem investigare cujus monastici ordinis fuerit? Quædam nos indicia in hac indagatione quasi lumine aliquo illustrare ac dirigere videntur.

I. — Illa quam de Carthusiensibus et Cisterciensibus mentionem fecit, qua eos in exemplum suis monachis proposuit, eum in neutrum ordinem fuisse cooptatum plane atque abunde demonstrat (I, xxv, 8) : *Attende Carthusienses, Cistercienses, et diversæ « religionis monachos ac moniales : qualiter omni nocte ad « psallendum Domino assurgunt.* »

II. — Ex ipsius Imitationis multis locis apparet ad usum monachorum omnino cœnobitarum hoc opus fuisse compositum. Legimus enim (I, xx, 3) : « *Nunquam promittas tibi securi- « talem, quamvis bonus videaris cœnobita aut devotus ere- « mita.* » Liquet autem ex inspectione totius libri non *eremitis*, id est solitariis illis qui in deserto vitam agebant, eum fuisse addictum, sed potius monachis qui in commune vixerunt : eamque vocem, *eremita*, gradatione aliqua usurpatam, quasi hic eremitarum status sanctius aliquid contineret atque altiorem religionis gradum legentibus offerret ; seu quia ex illa anachoretarum vita cœnobia paulatim exorta sunt, quum anachoretarum nonnulli discipulos et comites habuerint, quos adsciverunt aut qui

3

sua sponte ad eos convenerunt. Sic, exempli gratia, Sanctus Benedictus, antequam cœnobium institueret, plures annos anachoreta merus in amœna Sublaquei solitudine degerat (1). Sed quæ vidimus in Imitatione de concordia inter fratres, de subjectione, de cella continuata, de raro ad homines aditu, ea omnia, ut non plane solitariam vitam, sed communem, denuntiant, sic monachos illos inter homines non multum versatos esse documento sunt. Nusquam de prædicantium eloquentia, de ipsa prædicatione mentio est; nusquam de mendicitate; inde recipiendum est hic de quatuor prædicantium et mendicantium monachorum ordinibus non agi, qui fuere Dominicani, Franciscani, Augustini et Carmelitæ, quibus quidem in vita exteriore cum laïcis perpetuo quasi contactu conversatio fuit.

His igitur amotis et simul, de quibus supra, Carthusiensibus et Cisterciensibus, jam tantum superest ut Benedictinos consideremus.

Nobis autem inquirentibus quos Imitatio labores monachis commendet hæc primum occurrunt (I, XIX, 4) : « *Nunquam* « *sis ex toto otiosus, sed aut legens, aut scribens, aut orans,* « *aut meditans, aut aliquid utilitatis pro communi laborans.* » Item (III, XLVII, 2) : « *Scribe, lege, canta, geme, tace, ora.* » His verbis *scribens* et *scribe* non dubium est quin auctor religiosos invitet ut manu codices transcribant, quod tantæ curæ monachis fuit. Vocabula autem *lege* et *legens* fusius diversis locis ab ipso auctore explanata sunt, in quibus quæ legant religiosi et quo modo præcepit (Cf., I, V; — II, IX, 6; — III, VI, 6; VII, 5; — IV, XI, 4). Corporalia quoque opera commendat, ita tamen ut temperamento quodam ac moderatione illis indulgeant. I, XIX, 4 : « *Corporalia* « *tamen exercitia discrete sunt agenda, nec omnibus æqualiter* « *assumenda* ». Denique videmus in pii auctoris monasterio non omissam esse docendi curam, ut apti monachi fierent ad ea perfi-

(1) Ceterum me docet auctor ille qui de Italia mystica tam scite scripsit fuisse in ea regione tunc temporis proventum quemdam virorum quos alliciebat ipsa solitudinis et asperrimæ vitæ amaritudo : « *C'est alors que les âmes délicates,* « *amoureuses du silence, cherchèrent, au delà de l'institution monacale, des retraites* « *meilleures pour la vie contemplative. Aux X*e *et XI*e *siècles, la* « pineta » *de Ravenne,* « *les solitudes d'Agubbio, de Vallombreuse, de la Sila calabraise, le Mont Gargano,* « *l'Athos de l'Occident, se peuplèrent d'ermites. Ils y étaient encore à la fin du* « *XIII*e *siècle.* » Gebhart, *L'Italie mystique*, p. 18.

cienda opera quæ sive Regula, sive a superioribus præscribebantur. I, XXII. 7 : « *Bene opus esset quod adhuc iterum ins-« trueremur, tanquam boni novitii, ad mores optimos, si forte « spes esset de aliqua futura emendatione et majore spirituali « profectu* ».

Quæ quidem opera omnia, quæ commendat auctor Imitationis, eadem erant quæ Regula Sancti Benedicti præcepta sunt et a Benedictinis perfici compertum habemus (1).

III. — Celeber ille manu scriptus codex Cavensis, qui fuit in abbatia sanctæ Trinitatis repertus et primum a Valgravio in eam litem prolatus, in prima littera Q primi libri descriptam effigiem habuit monachi, pectore tenus informati, raso capite præter capillarem coronam, ut solent Benedictini, et nigra veste induti, scilicet vestitu Benedictinorum, qui ob eum habitum « monachi nigri »

(1) Montalembert (*Les Moines d'Occident*, vol. 2, p. 47), de hac Regula locutus, ait : « *On remarque dans ce programme que le Saint insiste sur deux principes : « l'action ou le travail, et l'obéissance... Benoit ne veut pas que ses religieux se « bornent au travail intérieur, à l'action de l'âme sur elle-même : il leur fait une « obligation stricte du travail extérieur, manuel ou littéraire... Pour mieux bannir « l'oisiveté, qu'il appelle l'ennemie de l'âme* (Otiositas inimica est animæ, *Reg.*, « c. 48), *il règle minutieusement l'emploi de chaque heure de la journée selon les « saisons, et veut qu'après avoir célébré les louanges de Dieu jusqu'à sept fois par « jour, il soit donné sept heures par jour au travail des mains et deux heures à la « lecture. Il impose des corrections sévères au frère qui perdrait à dormir ou à « causer le temps destiné à la lecture. Si, dit-il, la pauvreté du lieu les oblige à « rentrer eux-mêmes leurs récoltes, qu'ils ne s'en affligent pas, car ils seront vérita-« blement moines s'ils vivent du travail de leurs mains, comme nos pères et les « apôtres. Mais que tout se fasse avec mesure à cause des faibles :* Omnia autem « mensurata fiant propter pusillanimes »

Ceterum scriptor recens et mire doctus (R.-D. Puyol, *La Doctrine du Livre de l'Imitation*, p. 73-79) notavit et diligenti comparatione comprobavit quantum et quam arcte sibi respondeant Regula Benedictinorum et Imitatio : « *Le texte de « l'Imitation et celui de la Règle de saint Benoit se rapprochent l'un de l'autre avec « facilité... Il ne me parait pas téméraire de penser que la Règle de saint Benoit a « passé dans l'Imitation, comme un grand nombre de textes de l'Ecriture, par un « travail d'assimilation et d'intussusception* » — Adde etiam, sis, quod in codice Parmensi Regula benedictina descripta est in fronte librorum Imitationis (abbas Ducis, p. 32, *sub finem*). Jam antea sagax ille et idem doctissimus rerum historicarum narrator, Micheletus (*Hist. de Fr.*, lib. X, § 10) scripserat : « *Ce livre « semble particulièrement empreint de l'esprit de sagesse et de modération qui « caractérise les religieux de saint Benoit, maitres expérimentés de la vie intérieure « et des degrés qui conduisent l'âme dans la voie du perfectionnement spirituel.* »

vulgo appellantur. Crucem autem in manibus portat, contra cor suum, dum in nube quadam apparet dextra Crucifixi, dextra quidem transfossa clavo et ad eum versa, quasi dicens : « *Si vis* « *regnare mecum, porta crucem mecum* » (Imit., III, LVI, 2), et ipse respondeat : « *Suscepi, suscepi de manu tua Crucem ; por*- « *tabo et portabo eam usque ad mortem, sicut imposuisti mihi.* « *Vere vita boni monachi Crux est, sed dux Paradisi* » (Imit., III, LVI, 5). In codice quodam Imitationis Vindobonensi, similis est monachi nigri effigies (Cf. A. Ducis, *op. l.*, p. 32, col. 2).

SI VIS REGNARE MECUM, PORTA CRUCEM MECUM



Suscepi, suscepi de manu tua Crucem ;
portabo et portabo eam usque ad mortem, sicut imposuisti mihi.
Vere vita boni monachi Crux est, sed dux Paradisi.

IV. — Legimus in Imitatione (I, III, 5) : « *Dic mihi, ubi sunt* « *modo omnes illi Domini et Magistri, quos bene novisti dum* « *adhuc viverent et studiis florerent ?* » Quid in hoc loco vox « Domini » significet non satis intellectum puto. Sic enim sæpius vocabula « *Domini et Magistri* » gallice vertuntur : « *Maîtres et*

Docteurs », quibus in verbis est redundantia quædam, sive, ut græce aiunt, πλεονασμός. Priscus autem ille noster Marillacus, ingenuus sane et candidus, nec non optimus omnium forsan libri aurei interpres, talem redundantiam amovere conatus est, quum verteret : « *tous ces Maîtres.* » In Aronensi autem codice, verbum « Domini » non transcriptum est : quod tamen initio in Imitatione ab ipso auctore scribi debuit, quum facile videam cur suppressum postea sit, cur autem fuisset adjectum nullo modo conjicere possim.

Quinam igitur « Domini » inter monachos vivere potuerunt? Aut ego fallor, aut hic agitur de ipsis Benedictinis, quibus in origine nomen inditum est « Dominus », gallice « Dom » : quia in principio, ut relatum est, ii tantum in Patrum numerum apud Benedictinos adsciscebantur qui nobili loco orti erant (1). Hos Dominos constat magna apud gregarios monachos et novitios auctoritate fuisse, quos Scripturas et monasticam vitam aliasque disciplinas edocebant : unde, si liceat verbo ad verbum phrasim supradictam traducere, libenter vertam : « *Dis-moi où sont pré-* « *sentement tous ces Doms et ces Maîtres que tu as connus* ».

V. — Revera hoc titulo « Domini » *(Dom* ou *Don)*, ornatum fuisse auctorem Imitationis declarat Veneti illius exemplaris anno 1501 excusi inscriptio toties vulgata et in diversum tractata : « *Hunc librum non compilavit Joannes Gerson sed D. Johan-* « *nes (?)........... abbas Vercell..........., ut habetur usque hodie* » *propria manu scriptus in eadem abbatia* » : in qua inscriptione proprium nomen autoris incertum est, sed reliqua neutiquam in suspicionem vocata.

Quibus perpensis, nemo, ut arbitror, infitias ibit probabile esse auctorem Imitationis fuisse Benedictinum.

Quæ quum ita sint, nonne alia indicia sunt ac testimonia quibus freti jam qua in regione atque etiam quo in Benedictinorum monasterio vixerit pius auctor investigare possimus ?

(1) « *Comme les Religieux Bénédictins allaient de pair avec ces derniers* (les seigneurs féodaux), *et que d'ailleurs ils possédaient un grand nombre de domaines seigneuriaux, ils n'hésitèrent pas à joindre à leur nom le titre de « Dom* » (Carolus Chabot, *Encyclopédie monastique* (Parisiis, Ed. Le Roy, 1827, in-8°, p. 166.)

I. — Quum primum res in disceptationem venit, nullum aliud primi certantes habuerunt testimonium quo Vercellis vixisse Imitationis auctorem contenderent, nisi hoc exemplar anno 1501 Venetiis excusum et a Caïetano Genuæ in bibliotheca monasterii Sanctæ Catharinæ dicati repertum, quo in exemplari notam partim incertam esse supra diximus. Quo vitio manca quidem fit pro nomine auctoris, sed nullatenus pro loco ubi vivebat. Nam litteræ *abbas Vercell.* et integræ erant et a nemine usquam in suspicionem sunt adductæ.

II. — Animadvertere quoque est hoc de Vercellensi regione indicium cum aliis congruere. Circa enim eam regionem reperti sunt notabiles plerique manu scripti codices qui nomen Gersenis præferunt. Codices hi sunt :

A. — *Aronensis,* nunc in bibliotheca regia Aug. Taurinorum asservatus, qui nomen Gersen inscriptum habet.

B. — *Bobbiensis* in quo initio quarti libri legitur : « *Incipit liber* « *Joannis Gersen cum quanta reverentia*........... »

C. — *Mantuanus,* sive *Padolironensis* (e monasterio Benedictinorum Padolironensi prope Mantuam); quo in codice nomen Joannis Gersen bis occurrit; semel in capite libri : « *Incipit liber* « *Johannis Gersen primus de contemptu, etc*....... », et rursus in fine : « *Explicit liber quartus Johannis Gersen de sacramento* « *Altaris.* »

D. — *Parmensis*, in monasterio Sancti Joannis Parmensis repertus, quem sic descripsit Dupinus *(Op. Gers.,* I, LXXXI) : « *Continet regulam Sancti Benedicti et libros de Imitatione* « *Christi eadem manu... In fine libri quarti de Imitatione* « *Christi eadem manu scriptum est :* « Explicit liber quartus et « ultimus Johannis Gersem, de Sacramento altaris. » Annus in fine regulæ Sancti Benedicti adscriptus est 1466.

E. — Alius *Parmensis,* in quo operis auctor scriptus est Johannes de Gersennis (Cf., Puyol : *de Imitatione Christi libri quatuor,* Introd., p. 54).

F. — *Bononianus,* Imitationis italice versæ et Joanni de Gersennis attributæ.

G. — *Faustinianus,* in monasterio Brisciæ scriptus ex anno 1476 ad annum 1492, sub nomine Joannis Gersen.

H. — *Venetus,* quem Dom. Gerbertus descripsit, et cujus in

adversa fronte legere est : « Joh. Gersen, *de Imitatione Christi* » (Cf. Malou, *op. laud.*, p. 247).

Plures alii codices nomen Gersenis præferentes, cum titulo : *cancellarii Parisiensis*, in iisdem Italiæ partibus reperti sunt : quos sane non Gersoni cancellario, sed Gerseni abbati attribuendos et recentius scriptos veri admodum simile est. Etenim transcriptores, quum Gersenis persona, humilis viri, jam in oblivionem venisset, nomen vero in prioribus codicibus inscriptum remansisset, hunc Gersenem non alium esse atque illum celebrem cancellarium Parisiensem propter nominum similitudinem arbitrati sunt.

Præterea familiæ cujusdam Vercellensis fuit clarus ille codex « *de Advocatis* » dictus, anno repertus 1830. Constat etiam unum ex ea familia, scilicet Guillelmum de Advocatis, fuisse abbatem Sancti Stephani in urbe Vercellensi annis 1330-1340 (Malou, *op. l.*, p. 262).

III. — Nemo est qui, quum Imitationem evolvit, usitatam Gallorum loquendi consuetudinem multis in locis non animadvertat, seu de vocabulis ac locutionibus, seu de ipso phrasis habitu agatur, quæ non semel gallicæ dictionis formas et modum vehementer redolent : quod jampridem vetus noster Cornelius his verbis declaravit : « *Non seulement sa diction* (de l'auteur de « l'Imitation), *mais sa phrase même, en quelques endroits, est* « *si purement française, qu'il semble avoir pris plaisir à suivre* « *mot à mot notre commune façon de parler.* » (L'*Imitation de Jésus-Christ, traduite et paraphrasée en vers français par P. Corneille*. Præfat.)

Huic animadversioni assentiunt et Gentius, qui collegit gallicas locutiones Imitationis in libello *Les gallicismes de l'Imitation*, 1836, et eminentis hodierni Sorbonæ Decani doctus antecessor J.-V. Le Clerc, in præfatione Imitationis latino-Cornelianæ, 1854, et alii plurimi. Nec de re conspicua et evidenti ullum esse dubium potest : quum enim ad perspiciendas in aureo libro flandricas aut germanicas dictiones Lyncei fere visu opus sit, gallicæ contra locutiones ita oculos perstringunt ut quasi cæcus foret qui eas non videret.

Exemplo sint in primo libro :

Cap. I. III : « *Virtuosa* vita efficit Deo carum. » — II, 1 : « Scien-

tia sine timore Dei *quid importat?* » — IV, 2 : « Cum sapiente et *conscientioso* viro consilium habe. » — XI, 1 : « Multam haberemus pacem, si non vellemus *nos* cum aliorum dictis et factis *occupare.* » (Adde cap. XX, IV, § 3.) — *Ibid.*, IV, § 2 : « Nobis certandi occasiones *procurat,* ut vincamus. » — XIII, 3 : « *Una* tentatione seu tribulatione recedente, alia supervenit, et semper aliquid *ad patiendum habebimus.* » — XV, 1 : « *Pro nulla re mundi* aliquod malum est faciendum. » — XVIII, 3 : « *Divites in gratia et virtutibus.* » — XIX, 4 : « Si non continue te vales colligere, saltem interdum, et *ad minus* semel in die, mane videlicet aut vespere » (Cf., III, XXXII, 3). — XXI, 3 : « *Est securius quod* homo non habeat multas consolationes in hac vita. » — XXII, 2 : « Non est hominis felicitas habere temporalia *ad abundantiam.* » (Olim apud nos dicebatur « *à abondance.* » Cf., Littré, *Dict.*, verb. *Abondance).* — XXII, 5 : « Surge et *in instanti* incipe. » —XXII, 7 : « *Bene opus esset quod* instrueremur ad bonos mores. » — XXIII, 6 : « Disce *mori mundo.* » — XXIV, 1 : « In die judicii, quando nemo poterit *per* alium excusari vel defendi. » — XXV, 8 : « *Quomodo faciunt* tam multi alii religiosi? Raro exeunt, abstracte vivunt, *grosse* vestiuntur, parum loquuntur, diu vigilant, orationes *prolongant.* »

In libro secundo : III, 1 : « Homo *passionatus* etiam bonum in malum trahit. » — *Ibid.* : « Considerat quid alii *facere tenentur* et negligit quod ipse teneatur. » — XII, 12 : « Non es *securatus de* nullo contrario patiendo. » — XII, 13 : « Patientiam omnes *recommendant,* quamvis pauci pati velint. »

In libro tertio : I, 11 : « Beatæ aures quæ *auscultant* veritatem docentem. » — IV, 3 : « Revera peccator es, et multis *passionibus* obnoxius. » — VI, 4 : « *Non est ideo totum perditum*, si quandoque minus bene de me sentis quam velles. » — VII, 3 : « Melius est *sapere modicum* cum humilitate quam magni scientiæ thesauri *cum vana complacentia.* » — IX, 2 : « Nihil ergo tibi *de bono* adscribere debes. » — XI, 3 : « *Ecce hoc est* (vieux français : *ço est*). » — XII, 1 : « *Domine Deus, ut video, patientia est mihi valde necessaria.* » — XII, 2 : « *De duobus malis, minus est eligendum.* » — *Ibid.* : « *An putas quod* homines sæculi hujus nihil vel parum patiantur? » — XIII, 3 : « Quid *habes*, homo inanis, *conqueri?* » (Cf., III, XXI, 7 : Quid *habet* ultra *dicere* servus tuus coram te? — XXXII, 3 : Adhuc multa *habes ad relinquen-*

dum). — xvii. 1 : « Domine, *verum est quod dicis.* » — *Ibid.* : « *Fac de me quidquid volueris.* » (Cf., iii, 2 : Beatus quem tu *de lege tua docueris.*) — xviii, 2 : « Etsi onerosa præsens vita, facta est tamen *per gratiam tuam* valde meritoria. » — xix, 1 : « *Parum est quod tu pateris*, *in comparatione eorum* qui tam multa passi sunt. » — xxiii, 5 : « Domine Deus meus, *ne elongeris a me.* » (Cf., xxx, 3 : Quando tu putas te *elongatum a me*, sæpe sum propinquior.) — xxv. 5 : « *Una* æquali facie permaneas inter prospera et contraria. » (Cf., xlvii. 1 : Veniet *una* hora quando cessabit omnis labor ; *ibid.*, 2 : Veniet pax in die *una* quæ nota est Domino). — xxvi, 1 : « *Prærogativa* quædam liberæ mentis. » — xxvii, 1 : « *Scito quod* amor tui ipsius magis nocet tibi quam aliqua res mundi. » — *Ibid.*, 3 : « Permutare te potes, sed non *meliorare.* » — xxviii, 2 : « Ex inordinato amore et vano timore oritur omnis *inquietudo cordis.* » — xxix, 1 : « Da patientiam, Domine, *etiam hac vice.* » — xxx, 2 : « *Est formido vana quæ* te exterret. » — *Ibid.*, 4 : « Noli putare te relictum *ex toto* » (quod ingenue vertet Marillacus : *Ne pensez pas être du tout abandonné*). — xxi, 1 : « *Bene indigeo* » (gallice : *J'ai bien besoin*). — xxxi, 1 : « Pauci sciunt se a perituris et creaturis *ad plenum* sequestrari. » (Cf., IV, x, 4. Olim gallice dicebatur : *à plein*. Cf., Littré, *Dict. franç.*, verbo *Plein*). — *Ibid.*, 3 : « Nescio quid *prætendimus* » (gallice : *prétendons*). — xxxii, 2 : « Domine, hoc *non opus est unius diei*, nec ludus parvulorum). — xxxiv, 1 : « *Tu facis bene sentire de omnibus.* » (Cf., li, 2 : *Faciam te laborem oblivisci ;* lvi, 4 : *Faciam eum consedere*). xxxv, 3 « *Putas tu quod* semper habebis pro tua voluntate consolationes spirituales. » — xxxvi, 3 : « Ne *per impatientiam* minuas coronam tuam. » — xxxvii, 4 : « Quidam *se resignant, sed cum aliqua exceptione.* » — xlii, 1 : « Sed si *recursum habes* ad semper viventem veritatem. » — xlvi, 2 : « *Bassari* refugis. » — *Ibid.*, 4 : « *Pensat* quia ego sum scrutans corda et renes. » (Cf., xlviii, 6 : Si cœlum diligo, libenter de cælestibus *penso*). — xlvii, 4 : « *Leva igitur faciem tuam* in cælum » — li. 2 : « Expedit visitationem *firma confidentia* expectare. » — lii, 2 : « *Verum est et negare non possum.* » — liv, 10 : « *Contentatur paucis.* » — *Ibid.*, 11 : « *Renuntiat creaturis.* » — lvi, 1 : « Ego sum veritas *infaillibilis.* » — lvii, 1 : « Attende fragilitatem tuam quam sæpius experiris *in modicis objectis.* » — lix, 1 : « Tu mihi

in desiderio es, et ideo *post te genere*, clamare et exorare necesse est. » (Marillacus : *C'est vous que je désire, et pourtant il m'est nécessaire de gémir après vous, de pleurer et de prier*).

Ex libro quarto quædam demum excerpamus. — I, 5 : « Raro *totus collectus,* rarissime ab omni *distractione* purgatus. » (Cf., VII, 2, *sub fin.*). — I, 6 : « *Est magna distantia inter* legalia illa sacrificia, futurorum præfigurativa, et veram corporis tui hostiam, omnium antiquorum sacrificiorum completivam. » — I, 9 : « *Ad istud non trahit aliqua curiositas, aut sensualitas.* » — I, 12 : « Dolendum *super* tepiditate et negligentia nostra. » — V, 2 : « Non *alleviasti* onus tuum » ; *Ibid.* : « *Ad majorem teneris perfectionem.* » — V, 3 : « Aliorum commissa *per compassionem* defleat. » — V, 3, extr.: « Quando sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Ecclesiam *ædificat.* » — VII, 1 : « Diligenter *examina conscientiam tuam,* et *pro posse tuo*, vera contritione et humili confessione, eam munda et clarifica. » — VII, 2 : *Ingemisce quod adhuc ita carnalis sis et mundanus*, tam immortificatus a *passionibus,* tam plenus *concupiscentiarum* motibus. » — VII. 3 : « His et aliis *defectibus tuis confessis ac deploratis.* » — X, 3 : « *Vade* citius *confiteri.* » — XI, 1 : « *Ex gaudio* flere. » — XII, 2 : « Ac si mendicus ad prandium vocaretur divitis, et ille nihil aliud *habeat ad retribuendum* beneficiis ejus. » — XIV, 2 : « *Concede pauperi mendico tuo modicum de cordiali affectu amoris tui sentire.* » — XV, 4 : « *Magnam promeretur divinæ unionis gratiam.* » (Adde, XVI, 3). — XVII, 2 : « Et licet indignus sum omnia illa *sentimenta devotionis habere.* »

Liquet igitur Imitationis linguam habere peculiare aliquid, quod quidem quatuor titulis adscribere est : 1° Vocabula sunt multa quæ, a recto sermonis latini usu abhorrentia, in nostram tamen linguam defluxerunt (ut *virtuosus, grosse, sufferentia, bassare, elongare*, etc.); 2° Sunt quæ, a latinis scriptoribus usitata, ad alium sensum in Imitatione et apud nos transeunt (ut *importat, pensare,* etc.); 3° Multiplicantur præpositiones, ut solet in neolatinis quas vocant linguis, et casuum officio sæpius funguntur; 4° Aliquando syntaxis est immutata et sermonis nostri usum refert (ut *se tacere, se occupare, habere pati, teneri servire, mori mundo, pro pósse tuo, oportet quod,* etc.).

Si vero conferas hanc Imitationis linguam singularem cum sermone et scriptis sive sancti Bonaventuræ et Thomæ Aquinatis

aut ipsius sancti Bernardi, sive Gersonis aut Thomæ a Kempis et ceterorum ejusdem ævi auctorum, longe est ut invenias eamdem cum nostra lingua similitudinem. Cujus facti causam quum inquiro, vereor ut possim ullo modo explicare rem, nisi censeam Imitationem ortam esse in ea regione quæ olim Gallia Cisalpina vocitabatur, ubi usque viguit in monasteriis et usu latinus ille sermo popularis et gallicis locutionibus refertus, unde exorta est lingua dicta *Romana*, qui fuit communis fons nostræ et italicæ, nec non hispanicæ linguæ. Hunc sermonem popularem vel rusticum, cujus viri docti vestigia quædam invenire arbitrantur apud Plautum Umbrum et Catullum Veronensem, apud Vergilium Mantuanum et Titum Livium Patavinum, manifestum reperio apud sanctum Hieronymum, quem, e Dalmatia oriundum, scimus et invisisse Gallias ibique plura opera composuisse et Vercellas Aquileiamque, florentes tum studiis civitates, juvenem frequentasse. Ideo gallice sonant plurimæ ejus locutiones, tum in ceteris ejus operibus, tum præsertim in illa scripturarum translatione, qua nutritus et quasi imbutus fuit auctor Imitationis. Inde tot dictiones quæ simul a S. Hieronymo et ab Imitatione usurpatæ totidem gallicis dicendi modis respondent, quales : « *Ille*, sensu nostri *Il ; Per*, omnino ut apud nos *Par ; De*, sicut gallice *De (nihil de bono, rien de bon ; — fac de me*, etc.) ; *Quod, quia, quoniam*, instar gallic. *Que* (*scire quod*, etc.) ; *Unus*, sensu indefinito (*una æquali facie*) ; *Habere*, cum omnibus acceptionibus verbi *Avoir ; Est*, initio phrasis, sicut apud nos *C'est ; Facere*, cum infinitivo (*faciamus eum consedere*, etc.) ; Infinitivus vicem nominis gerens (*pro posse tuo*, etc.) ; *Se, suus*, pro *Is, hic, ille* (IV, x, 5, *extr.*) : « *Dominus aderit desiderio* suo (pro *ejus*) », gallice : « *Le* « *Seigneur secondera* son *désir* », italice : « *Il Signor aiuterà il* « suo *desiderio* » ; germanice libentius dixeris : « *Gott wird ihm zu Hülfe kommen.* » Inde quoque hæ minutæ phrases et quasi coarctatæ, quæ vim simul atque lucem sententiæ conferunt et nativum nostræ linguæ ingenium referunt : propensior quippe est ad brevem quemdam styli decursum, quam ad illos circuitus et anfractus periodi per quos illa sententia sæpe magis obscuratur quam nobilitatur. Illam virtutem distincti sermonis jam signavit ipse D. Hieronymus (in præfat. Ezech.) dicens : « *Per cola et* « *commata scriptus liber manifestiorem legentibus sensum* « *tribuit.* » — Præterea et apud Hieronymum et in Imitatione

reperias voces multas, quas sibi vindicat nostra lingua, quales : *indisciplinatus, licentiatus, sufferentia, alleviare, contentare, prolongare, compati, compunctio, complacentia,* etc..... : quibus adjicere liceat aliquas hasce locutiones, quas in evolvendo Epistolas B. Hieronymi quasi fortuito offendi : « *In divinis rebus non possibilitatem inspici debere* » (Epist. I). — « *Et cur id ?* » (Epist. XIV). — *Illi vivunt de altario* » *(Ibid.)*. — « *Si rivus tenuiter fluit, non est alvei culpa* » (Epist. XVII). — « *Sub tunica pœnitentis* » *(Ibid)*. — « *Incrassatum est cor populi hujus* » (Epist. XVIII). — « *Ignem veni mittere* » *(Ibid.)* — « *Me fac bene prosperari* » (Epist. XX). — « *Hæ minutiæ* » *(Ibid.)*. — « *Salutem hominum procurare* » (Epist. XXI), etc., etc...

Ne singula persequar et prædium invadam quod nupero et eodem eruditissimo libro doctus professor H. Goelzer sui juris fecit, eo demum devertor unde initium cepi, scilicet ut concludam fuisse in tota Italia Superiore, nec non in affinio, jam inde a temporibus Sancti Hieronymi, latinitatem quamdam quasi gallicam, quæ alibi non apparet. Quæ quidem latinitas, quum in Imitatione prævaleat, assignare videtur hoc opus huic regioni Italiæ, intra quam Vercellensis ager continetur.

CAPUT QUINTUM

QUA ÆTATE IMITATIO SCRIPTA SIT

I. — Liber *de Imitatione Christi,* quum sit insigne puræ ac serenæ fidei monumentum, locum sibi vindicat multo potius in sæculo Sancti Ludovici quam in turbidis quarti decimi et quinti decimi temporibus. Qua nimirum ætate et Avenionis servitus (1309-1377), et Wiclevius (1324-1384), « *matutina Reformationis stella* », et Joannes Huss, igni traditus anno 1415, et Magnum quod dicitur Occidentis Schisma (1378-1449) bifidumque toties supremum Ecclesiæ regimen, et tantæ demum discordiæ ac calamitates quas in ipsa monasteria redundare necesse fuit, quî pacem illam et candidam serenitatem nostri libri edidissent ?

II. — Duodecimo præsertim et tertio decimo sæculo fiunt hæ peregrinationes quas Imitationis auctor (IV, I, 9) attingit, et id temporis hæ diffunduntur multitudines peregrinantium, qui in diversos locos discurrunt ut Sanctorum reliquias invisant, illasque basilicas ecclesias admirentur, sub eorumdem Sanctorum nominibus ædificatas, et eorum ossa sericis et auro involuta osculentur. Anno 1170 institutus est Ordo sancti Jacobi *de Spatha,* qui peregrinantes in *Campum stellæ* (gallice : *Compostelle)* protegeret, et circa annum 1250 in Italia Ordo sancti Jacobi *de Alto Saltu* (gallice : *du Haut-Pas),* qui faciliorem peregrinatoribus amnium transitum suppeditatis naviculis faceret et eosdem ab omni injuria tueretur. Circa finem duodecimi sæculi, centena millia peregrinantium ad tumulum Sancti Thomæ Canterburensis concurrunt. Anno 1205, Philippus Augustus, Galliæ rex, ab imperatore Cons-

tantinopolitano Balduino sanctas reliquias accepit quæ statim templo Sancti Dionysii assignatæ in id sacrarium magno populi concursu, magna pompa translatæ sunt, tribus adstantibus episcopis, qui indulgentias concessere, si qui has reliquias invisererent (1). Anno quoque 1239, immenso principum, prælatorum, baronum, clericorum et populi concursu et pompa inaudita, Passionis reliquiæ, ab urbe Constantinopoli Lutetiam Parisiorum translatæ, a sancto Ludovico receptæ sunt, ut deinde deponerentur, sicuti sacer thesaurus, in illo mirabili sacrario, insigne architecturæ elegantis simul et puræ miraculo, quæ vocitatur *Sancta Capella*. Denique ab anno 1290 multi peregrini in Dalmatiam ierunt, domum Virginis Nazarenam visuri, Sanctam Casam nomine appellatam, quæ, anno 1294 miraculo insigni in Italiam translata, abhinc assiduis et frequentibus peregrinationibus aditur. Plures aliæ peregrinationes iisdem temporibus fieri cœptæ, inter quas memorandæ sunt : 1° Peregrinatio in urbem *Axonam* (gallice *Essonne*), haberi solita ex quo miraculum factum est circa annum 1210. Tum abbas Sancti Dionysii in eum locum monachos misit; postea vir celeberrimus Sugerius, Sancti Dionysii factus abbas, in eodem loco speciosum delubrum ædificavit velisque sericis ornavit, in quod multi peregrinati sunt (Suger, *De admitratione sua*, Duchêne, vol. I, p. 340) ; 2° Peregrinatio in pontem Avennicum, a sancto Benezeto miraculo quodam exstructum. Multos ad eum pontem visendum peregrinatores venire rerum scriptores fidem faciunt eoque in loco ædificatum monasterium (1180) quod peregrinantes hospitio exciperet. (Papon, *Hist. génér. de la Provence;* Migne, *Encycl. théol.*, vol. XLIII, p. 258).

III. — Id temporis quoque sericæ vestes rarissimæ sunt in Occidente, ubi, non fere minoris quam ipsum aurum æstimatæ, regibus et sanctis reservabantur, ut indicat locus hic supra citatus : « *sericis et auro involuta.* »

IV. — Præterea abest omnino ab Imitatione cultus Sanctæ Virginis, de qua bis solum mentio facta est (IV, II, *extr.* ; XVII, 2). Atqui

(1) L'abbé Migne, *Encyclopédie théolog.*, vol. XLIII, p. 566.

hic cultus diffusus est atque effloruit tantum altera parte tertii decimi sæculi. Sanctus Ludovicus, qui anno 1270 mortem obiit, hoc devotionis genus vix novisse videtur (Cf., Joinville), neque de Maria locutus est, vel quum consiliis Agnetem filiam admoneret. Verum est quidem quod cultus hic radices suas habuerit ipsis antiquissimis Christianæ religionis ætatibus, quibus Salvatoris mater semper in honore fuit. Propagatus est deinde et confirmatus in occidentali Europa ipso Christianæ fidei contactu cum vetusta illa reverentia qua gentes barbaræ fœminas prosequebantur : « *Inesse quinetiam sanctum aliquid et providum in fœminis* « *putant,* » (Tacit., *Germ.,* VIII).

In Gallia, Druiades virgines, quibus, ut fama erat, in potestate fuit morbos depellere, futura prævidere, iratos fluctus placare (Cf., Henric. Martin., vol. I, p. 64, quartæ edit.), a tota gente summo et prope divino honore colebantur. Quare non mirum est, in ipso gallicæ religionis quasi umbilico, scilicet in Carnutum civitate, ortum habuisse, ut ita dicam, cultum Virginis : quod quodam modo declaratur celebri illa legenda : « *Virgini pariturœ.* » Serius autem, quum bella sub signo Crucis adversus Infideles suscepta sunt, ea quæ tum constituta est nobilium equitum militia magis ac magis religionem cum illa fœminæ reverentia consociavit. Itaque Franciscani, anno 1208 instituti, qui præcipui Mariæ cultum diffuderunt, semet ipsi « *Virginis equites scutarii* » vocitabant. His quoque ut auctoribus attribuitur hymnus « *Stabat Mater...* », unusque ex illis, sanctus Bonaventura (1221-1274), Psalterium B. Mariæ Virginis composuit fecitque ut orationum usus ad Sanctam Virginem post completorium institueretur. Hoc fervore suadente, ædificari cœptæ sunt ecclesiæ Nostra Domina Carnutensis (anno 1260 consecrata), Parisiensis, Noviomagensis, Laudunensis, Remensis, Argentaurensis, atque aliæ Virgini dicatæ, seu in Gallia, seu in Italia, seu in Germania, quibus omnibus arcu augivo signata forma inest, tertii decimi sæculi propria (Cf. de Caumont, *Abeced. Arch. rel.*, cap. v). Fuit dehinc Maria universis piorum hominum seu gestis, seu scriptis immixta ; fuit pictoribus et cunctis qui e lapide, ære, ebore signa fingebant, aut qui coloribus variis in libris minutas figuras describebant, perpetuum ingenii incitamentum, quum certatim studuerint ejus vitam et mores effingere, quales quidem ex Evangeliis Patribusque et fama, nec non et legenda, fuisse consentaneum est. Tum omnes

Doctorum voces, tum poetarum (1) cantus, cum ipsius Ecclesiæ voce et cantibus, laudes ejus proclamarunt; neque a tertio decimo sæculo ullum invenire est scriptum ad religionis res aut pios affectus spectans, in quo nomen Mariæ non sæpe celebretur. Ea est nimirum Regina cœli, Angelorum domina, Stella maris, Sancti Spiritus sacrarium, Porta cælestis domicilii. Quum igitur talis sit tamque unanimis concentus, vix intelligo quanam ratione et quo pacto sola sileat de sanctissima Deipara Imitatio, si quarto decimo aut quinto decimo sæculo compositum fuisse librum decreverimus.

V.—Contra Imitatio quodam modo repercutit, ut ita dicam, illas de dogmatibus scholasticas turbas ac procellas, quibus duodecimum sæculum in tantum fuerat agitatum. Sed id temporis, consenescente jam tumultu, solum remanet, perinde ac in mari commoto, vortex quidam et agitatio undarum quæ exactam tempestatem sequitur, quum jam fluctus, modo irati ac tumentes, paulatim residunt et ad littus velut exspirantes delabuntur : resultat tamen etiam tum fremitus aliquis. Memoria enim tenemus quibus discordiis ætas sancti Bernardi et Abailardi laboraverit : quarum tota ferme Europa strepitum ac fragorem audiit, quibusque finem imponere vix Conciliorum valuit auctoritas. Tum multæ motæ questiones, et illa præcipue *de libertatis humanæ cum divina voluntale convenientia*, qua e quæstione cæteræ quasi pendebant, scilicet illæ de Trinitate, de generibus et speciebus, de originali labe, de gratia; quæ quidem disputationes, postquam magni illi doctores e vita excesserant, in scholis et monasteriis obscure perstabant. Has prorsus controversias Imitatio reprobat

(1) Vide peculiariter Petrarcæ (1304-1374) *Canzone* XXIX, quæ est sublimis hymnus ad Mariam; vide etiam hujus poetæ epitaphium, ab ipso, creditur, compositum :

> « *Frigida Francisci lapis hic tegit ossa Petrarcæ;*
> « *Suscipe, Virgo parens, animam; sate Virgine, parce,*
> « *Fessaque jam terris cœli requiescat in arce.* »

Scilicet intra tria « Fiat » mundus continetur : quorum primum « *Fiat lux* » mundum creavit : secundum « *Fiat* », Virginis ad Angelum nuntiantem, eum reparavit; tertium « *Fiat volutas tua* », Salvatoris in oratione « *Pater qui es in cælis* », eum conservat.

(I. i, 3; I, iii, 2); repudiat vanas et inconsideratas mentis humanæ indagationes, vanum cognoscendi studium (I, iii, 1; III, iv, 5, etc.), nec sinit de secretis Dei inquiri. His autem temerariis investigationibus quadam tranquilla firmitate ac constantia rectæ fidei decreta opponit : Roscelinus Trinitatem adgressus fuerat ; Trinitatem Imitatio collaudat ac glorificat. III, xl, 6 : « *O veritas* « *mea et misericordia mea Deus meus, Trinitas beata, tibi soli* « *laus, honor, virtus et gloria per infinita sæculorum sæcula.* » Docenti Petro de Bruys non debere preces pro defunctis fundi Imitatio præscriptis iisdem precibus respondet (IV, ix, 5). Audax illud liberum arbitrium, quod Abailardus docuerat, intra suos fines legitimos coercet (III, liii, 3 et 4, etc.). Quum autem eo progressus esset Abailardus ut contenderit homines salvos fieri posse sola naturali lege, cujus Gratiæ lex esset tanquam absolutio quædam ac perfectio : « *In lege veteri,* asserit Imitatio (III, « xviii, 2), *porta cæli clausa persistebat, neque qui tunc justi* « *erant et salvandi ante passionem tuam, Domine, et sacræ* « *mortis debitum, cæleste regnum poterant introire.* » — Frustra Abailardus de nostræ naturæ ob culpam originalem infirmitate dubia quædam interponere humanamque rationem in majus provehere tentaverat : vehementer illum propter id S. Bernardus vituperaverat; nec minori studio auctor Imitationis (quem haud semel asseclam S. Bernardi agnoveris) tali proposito adversatur) (Cf. III, lv, 2). Quæ quidem exempla satis innuunt Imitationem vicinam prope esse temporibus iis quibus animi his magnis controversiis incensi erant et illustrissimi propugnatores manus conseruerant.

VI. — Haud perperam locus quidam Imitationis (I, xxv, 8) signatus est, in quo de fervore Carthusiensium, Cisterciensium diversæque religionis monachorum et monialium agitur, et severitas eorum in regula sua observanda laudatur.

Porro scimus Carthusienses, a Sancto Brunone anno 1084 institutos, ea primum sanctitate vitæ fuisse, ut, sub prioratu Guigonis, qui obiit anno 1137, « *non terrestres homines, sed angeli cœlestes* « *viderentur,* » ait Petrus Sutor (*sive* Couturier, *De vita Carthusiana*, p. 581); atque etiam multo post ab Alexandro IV, circa annum 1255, laudarentur tanquam « *aliis rectæ vitæ speculum* « *et salutiferæ conversationis exemplum* » (Cf. Sutorem, *Op. l.*,

p. 638) : quæ laus optime cum illo Imitationis quem notavimus loco congruit.

Cisterciensibus autem tributam in Imitatione laudem perspicuum est ad tempora satis vicina huic ætati qua instituti sunt pertinere. Gnarum est enim Cistercienses, paucis jam annis post mortem B. Bernardi (1153), quum per totam Europam magis ac magis multiplicati essent, auctis divitiis, ab illa severitate descivisse atque ita degenerasse, ut eorum incompositos mores necesse fuerit sæpius corrigere et reformare.

Adde quod non Carthusienses modo et Cistercienses, sed diversæ quoque religionis (quam non nomine indicat) monachos et moniales Imitatio ad exemplum proponit, quod quidem ægre quarto decimo aut quinto decimo sæculo referas. Nam iis temporibus, si magnæ virtutes (ut indubium est) etiam tum in recessu claustrorum latebant, tamen monastici Ordines generatim, præda facti suis ipsorum divitiis et fatali ruina præcipites, ad id perversi status devexi erant, e quo initium quasi cepisse Reformationem quam dicunt jure arbitreris.

VII. — Id quoque jam animadversum est neque in hac nostra disceptatione negligendum, has scilicet de meritis Sanctorum disputationes, quas Imitatio reprehendit (III. LVIII, 2 et *sqq.*), aperte cum ardentibus illis controversiis congruere, tertio decimo sæculo Franciscanos inter et Dominicanos exortis, utrum videlicet in cælo Sanctus Franciscus Sancto Dominico, an hic illi præstaret, qua ex præstantia non modo sanctiori major honos apud Deum et homines, sed et Ordini toti major auctoritas terrestris, major temporalis potentia provenire debebat (1).

VIII. — Festum Corporis Christi anno 1264 a papa Urbano quarto fuit institutum, et quæ in hoc festo aut canuntur aut recitantur (scilicet, ut aiunt, Officium) fuere a Dominicano Thoma Aquinate composita : quo quidem in officio locus animadversus est : « *O quam suavis, Domine,* etc., » qui in Imitatione quoque legitur (IV, XIII, 2). Uter autem auctorum alterum transcripsit? De

(1) Malou (*Op. l.*, p. 270), hoc e Sanctorum meritis ductum argumentum refellere conatus, omnino erravit atque *elenchi*, ut dicitur, ignoratione peccavit.

hac re inter se critici dissident. Si vero ad ea quæ circa hunc locum sunt respexeris, quæstioni lux quædam superveniet. Primum igitur totus transcribatur locus :

IV, XIII, 1-3 : « *Vere tu es dilectus meus, electus ex millibus, in* « *quo complacuit animæ meæ habitare omnibus diebus vitæ suæ.*

« *Vere tu pacificus meus, in quo pax summa et requies vera,* « *extra quem labor et dolor, et infinita miseria.*

« *Vere tu es Deus absconditus ; et consilium tuum non est* « *cum impiis, sed cum humilibus et simplicibus sermo tuus.*

« *O quam suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui, ut dulcedi-* « *nem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo, de cælo* « *descendente, illos reficere dignaris !*

« *Vere non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos* « *appropinquantes sibi, sicut tu, Deus noster, ades universis* « *fidelibus tuis, quibus, ob quotidianum solatium et cor erigen-* « *dum in cælum, te tribuis ad edendum et fruendum.* »

« *Quæ est enim alia gens tam inclyta, sicut plebs Christiana ?*

« *Aut quæ creatura sub cælo tam dilecta, ut anima devota,* « *ad quam ingreditur Deus, ut pascat eam carne sua glo-* « *riosa ?*

« *O ineffabilis gratia ! O admirabilis dignatio ! O amor* « *immensus homini singulariter impensus !* »

Quem omnem locum si accurate examinabis, liquebit hæc verba : « *O quam suavis*, etc..., » cum serie quadam enuntiationum cohærere, quibus quasi contextus conficitur, quum inter se iteratione primi verbi « *vere* » connectantur in hunc modum : « *Vere tu* « *es dilectus meus... Vere tu pacificus meus... Vere tu es Deus* « *absconditus... Vere non est alia natio tam grandis...* » Hæc ultima enuntiatio, quæ locum quemdam *Deuteronomii* (IV, 7) mutuatur, et ex tribus antecedentibus consequens est, arcte coagmentatur cum præcedente illa phrasi : « *O quam suavis est*, etc... » Quinetiam hac phrasi continuatur : « *Quæ est enim alia gens tam* « *inclyta*, etc... » Quæ quidem verba locum supra citatum *Deuteronomii* continuant (1) ; et pagina tota fastigium et quasi culmen

(1) Deuteron., IV, 7 : « *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appro-* « *pinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* »

IV, 8 : « *Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque* « *judicia, et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros !* »

habet vividam hanc animi grati et sancti amoris elationem : « *O ineffabilis...* » : quo affectu terminatur et coronatur eximius ille locus, tam bene completus, tam apte per continuos gradus procedens, ita ut nulla ejus pars aut loco moveri, aut efferri possit.

Num sibi vult quidquam quodcumque B. Thomæ prædictum Officium de stricta illa ac mira compagine quo sermo hujus loci vincitur et quasi concatenatur? Quem si ab Aquinate auctor Imitationis sumpserat, ubinam sumpsit illud : « *Quæ est enim alia* « *gens tam inclyta,* » quod in Scriptura est (*Deut.*, IV, 8), sed apud Aquinatem deest?

Ceterum neuter utique mihi videtur primus conjugasse MANNA et Eucharistiam. Ab origine enim ipsa ævi christiani operæ pretium fuit « concordantias » inter novam Legem et veterem definire : ita ut vetus Lex apparuerit quasi imago anticipata Legis novæ. Salvator etiam ante omnes rei initium dederat; nec aliud fecerunt sancti interpretes, quam ejus verbum (Cf. Joan., VI, 31, *sqq.*) assequi et explere, quum manna assererent Eucharistiam præfigurari, et ad hanc divinam refectionem referrent veteris Testamenti loca quæ alimoniam illam spectant (*Exod.*, XVI, 14 et 15; *Num.*, XI, 7; *Deut.*, IV, 7 et 8; *Psalm.*, LXXVII, 28; *Sap.*, XII, 1; XVI, 20 et 21).

Proinde ex eo fonte communi concordantiarum sua pro se utrumque singulatim hausisse et Imitationis autorem et B. Thomam existimo, neque unum ab altero mutuasse. Namque si quædam, ut dixi, habet Imitatio quæ in Scriptura sunt, non apud Aquinatem, rursum apud Thomam insunt quæ Imitationi desunt, etsi penitus a similitudine illius manna cum Eucharistico pane pendent, ut illud : « *Angelorum esca nutristi populum tuum, et panem de* « *cælo præstitisti omne delectamentum in se habentem.* » (*Sap.*, XVI, 20; *Off. S. Sacr.* ad primas Vesp. et ad Laudes.)

Notandum vero est quod nihil arguat auctorem Imitationis novisse festum Sacri Sacramenti. Enimvero beneficia quidem Sanctissimæ Eucharistiæ celebrat, et docet quibus animi affectibus recipienda sit; sed ne unum quidem habet verbum de illo novo honore quo Ecclesia divinam hostiam decoravit. Imo si officium B. Thomæ ante oculos habuisset, et jam cantu et organis resonassent perpoliti illi et insignes hymni « *Pange, lingua...* », « *Sacris* « *solemniis...* », « *Verbum supernum...* », prosaque « *Lauda,* « *Sion...* », quæ tanto fulgore et tam docta limataque brevitate

cælestis Sacramenti gloriam et virtutem expandunt, num in Imitatione legeremus nulla voce humana posse hujus mysterii magnitudinem et excellentiam explanari : « *cujus dignitatem nullus* « *hominum explicare potens invenitur ?* » (Imit., IV, II, 2.)

E contra Imitationem novisse et ex sublimi libro plura desumpsisse B. Thomam si quis censeat, haud plane, quod ad me, refragarer. Exemplo sint hi loci : Imit., IV, II, 5 : « *Verus Deus et* « *homo, sub modica specie panis et vini integer contineris.* » S. Thomas, in prosa *Lauda, Sion :* « *Manet tamen Christus* « *totus sub utraque specie, nec totus consumitur,* » et idem in Sermone Opusculi LVII, in *Breviario romano :* « ... *ideoque Deus* « *et homo perfectus sub modica panis et vini specie contine-* « *tur.* » — Imit., IV, IV, 1 : « *Excita cor meum ad gustandum* « *in spiritu suavitatem tuam, quæ in hoc Sacramento, tan-* « *quam in fonte, plenarie latet.* » S. Thomas, in eodem Sermone : « ... *suavitatem hujus Sacramenti, per quod spiritualis dulcedo* « *in suo fonte gustatur.* » — Imit., IV, IV, 2 : « *Est enim hoc* « *altissimum et dignissimum Sacramentum, salus animæ et* « *corporis, medicina omnis spiritualis languoris : in quo vitia* « *mea curantur, passiones frenantur, tentationes vincuntur* « *aut minuuntur; gratia major infunditur, virtus incepta* « *augetur; firmatur fides, spes roboratur, charitas ignescit ac* « *dilatatur.* » Quam adeo plenariam fidei effusionem B. Thomas (*Ibid.*), suo, ut erat, strictiore et magis dogmatico quam ethico ingenio, ita coarctat : « *Nullum etiam Sacramentum est isto* « *salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, et* « *mens omnium spiritualium charismatum abundantia im-* « *pinguatur.* »

IX. — Nec solus Thomas de Aquino, sed et alii ejusdem aut subsequentis sæculi jam novisse nostrum librum videntur.

A. — S. Bonaventuræ (1221-1274) sileantur, quoniam de eis lis est, acroases illæ ad Tolosanos, quæ « *devotum libellum de Imi-* « *tatione* » expresse memorant; sed in tractatu ejus « *De interiore homine* » multa reperi quæ valde Imitationi consonant, in capitulis præcipue *de obedientia* (I, II), *de cella* (I, XIII), *de conversatione inter fratres habenda* (I, XVII), *de multiloquio* (I, XXVI), *de exemplo Christi in omnibus habendo* (I, XXXII), *de vitanda cum mulieribus familiaritate* (I, XXXIX), *de silentio* (II, XV).

B. — Ipse ille sanctus rex Ludovicus (1215-1270), quum olim cum suo fideli senescallo de religiosis rebus verba faceret, fertur ei dixisse : « *Cave, mi, laqueos Diaboli, quibus nos irretit, ut a* « *recto ad pravum misere declinemus. Nam, quæ astutia est* « *ejus, multas suggerit contra fidem ratiunculas, si forte eam* « *contaminarit et mentem nostram mala peste dubitationis* « *infecerit. Cui prorsus, quum talibus tentationibus nos oppu-* « *gnat, firmiter obnitendum, et ei dicas : Vade, pessime, et abi,* « *cum turpibus tuis fallaciis, nec speres me a fide mea detru-* « *dere, in qua vivam usque et moriar. — Ita, mi bone, inimi-* « *cum quasi fuste et gladio abigas, ne tu pereas.* » Liceat vero hic reponere proprium et sincerum ingenui senescalli sermonem : « *Et disoit que l'ennemi est si soutilz, que, quant les gens se* « *meurent, il se travaille tant comme il peut, que il les puisse* « *faire morir en aucune doutance des poins de la foy... Et pour* « *ce se doit-on garder et en tele maniere deffendre de cet agait,* « *que en die a l'ennemi, quand il envoie tele temptacion :* « *Va-t-en, tu ne me tempteras jà à ce que ne croie fermement* « *tous les articles de la foy, ès quelle si veil-je vivre et morir.* « *Et qui ainsi le fait, il vainc l'ennemi de son bâton et espée* « *dont l'ennemi le vouloit occir.* » (Joinville, *Histoire de saint Louis*, in-12, Didot, p. 13.)

Quem locum huic Imitationis (III, VI, 6) loco esse affinem haud perperam mihi videor arbitrari : « *Scito quod antiquus inimicus* « *omnino nititur impedire desiderium tuum in bono et ab omni* « *devoto exercitio evacuare... Multas malas cogitationes inge-* « *rit, ut tædium tibi faciat et ab oratione revocet... Non credas* « *ei, neque cures illum, licet sæpius tibi deceptionis tetenderit* « *laqueos. Sed quum mala inserit et immunda, dicito illi :* « *Vade, immunde spiritus; erubesce, miser; valde immundus* « *es tu, qui talia infers auribus meis. Discede a me, seductor* « *pessime; non habebis a me partem ullam; sed Jesus mecum* « *erit, tanquam bellator fortis, et tu stabis confusus. Malo* « *mori et omnem pœnam subire quam tibi consentire.* »

C. — In canticis italici veteris poetæ Jacopone de Todi (1240-1306) sunt quæ ipsa quasi verba Imitationis referunt. Sic Imitatio (I, XXIII, 2) : « *Si vidisti aliquando hominem mori,* « *cogita quia et tu per camdem viam transibis* ». Jacopone : « *Vediti uno homo morire? Più segnio non vè opporto che tutti*

« *dovemo venire a quel medisimo porto* ». — Imit. (II, IV, 1) : « *Duabus alis homo sublevatur a terrenis, simplicitate scilicet* « *et puritate* ». Jacopone : « *Due ali che ad esso ne fan gire :* « *questo si è'l puro affetto, col purgato inteletto* ». Hæc et talia doctus Arthur. Loth *(Rev. des Quest. hist.* 1874, p. 106, *sq.)* censet a Jacopone ad Imitationem defluxisse; potius tamen assequar sententiæ Cl. V. Ozanami, cujus hæc verba sunt : « *Quelquefois* « *les chants de Jacopone rappellent les plus belles pages de* « *l'Imitation* ».

D. — Sunt quoque complura in scriptis Ludolphi Saxonici e Carthusiensi ordine (1300-1377), quæ, si ad Imitationis quædam loca conferas, prope similia videntur. (Loth, *ibid..);* neque etiam defuerunt qui ipsam Imitationem illi Ludolpho attribuerint. (Barbier, *Dissert. sur 60 traduct. franç. de l'Imit.,* p. 9-10.)

E. — Eodem ferme tempore Joannes Tauler (1294-1361), Dominicanus, edidit libellum cui titulus est : « *Von der Nachfolgung* « *des armen Lebens Christi* », qui libellus non modo titulo, sed etiam compluribus sententiis mire cum Imitatione consentit.

F. — Multi alii tunc temporis sunt qui, vestigiis nostri auctoris, credo, insistentes, viam spiritualis vitæ per Christum edocuerunt, quorum hæc opera inter alia referam : *Arbor vitæ crucifixæ,* Ubertini de Casali (1305); *Revelationes,* sanctæ Gertrudæ (1294-1334) ; *De conversatione interna,* Gerardi Groot, circa 1360; *Dialogus cum Patre æterno,* S. Catharinæ de Sienna, 1378; *De Scientia vitæ spiritualis,* S. Vincentii Ferrieri (1357-1419).

Ne plura, quis horum librorum ad famam Imitationis pervenit? Aut quemnam perpetuo evolvunt tam docti quam indocti? Dicamne igitur perfectum ab imperfecto originem traxisse ? Aut non potius fuerit divinum illum Imitationis librum tanquam fontem horum omnium autumare ?

Nec tamen infitias eo quin Imitatio mutuetur multa, non solum e sacris Scripturis, quarum verba ipsa scaturiunt in ea usquequaque, sed etiam e B. Bernardo, quo imbutum fuisse auctorem libri consentaneum est. Quo autem modo mutuetur pauca exempla monstrent.

De tentatione Bernardus (*Medit.*, XIV, § 1) ita : « *Primo carnem cogitatione* « *modicum titillat, deinde delectatione turpi mentem maculat, et ad extremum* « *per consensum pravitatis sibi mentem subjugat* ». — Imit. (I, XIII, 5) : « *Primo* « *occurrit menti simplex cogitatio, deinde fortis imaginatio, postea delectatio et* « *motus pravus et assensio : sicque paulatim ingreditur malignus hostis ex*

« *toto* ». In quo hinc et illinc notatur, pro suo progressu et usque ingravescente malitia, PASSIONIS, ut verbo christiano utar, in nostro corde sensim gliscentis damnosa oppugnatio. At intima cordis penitius forsan penetravit Imitatio, et incrementa mali melius digessit, quum illos Bernardi tres gradus, scilicet « *cogitatio, delectatio, consensus* », in hos quinque explicuit, scilicet « *cogitatio, imaginatio, delectatio, motus pravus, assensio.* »

Bernardus (*Medit.*, IV, § 1, *sub fin.*) : « *In illo clarificatur intellectus et purificatur affectus* ». — Imit. (IV, 16, *extr.*) idem fortioribus verbis exprimit : « *Amor corda purificans et intellectum illuminans.* »

Bernardus (*Medit.*, III, § 4) : « *Certum est quia morieris ; sed incertum est* « *quando aut quomodo, vel ubi. Quoniam mors ubique te exspectat, tu quoque,* « *si sapiens fueris, ubique eam exspectabis.* » — Imit. (I, XXIII, 7) : » *Ah stulte !* « *quid cogitas te diu victurum, quum nullum diem habeas securum ? Quam* « *multi decepti sunt et insperate de corpore extracti ? Quoties audisti...*, etc. » (Cf. hunc omnem locum quo res tam animose depingitur. Adde etiam totum Bernardi *Meditationum* capitulum IV, in quo mire luxuriatur de patria cælesti : quam descriptionem justis limitibus coarctavit Imitatio (III, XLVIII, 1).

Alia insuper hujusmodi exempla facile quivis lector inveniet.

X. — Adde quod, in ipsa Imitatione (III, XLIII, 4), ut jam observatum est, perspicue innui videtur Antonius de Padua, quum Jesus inducitur dicens : « *Nam quidam, amando me intime,* « *didicit divina et loquebatur mirabilia. Plus profecit in* « *relinquendo omnia, quam in studendo subtilia.* » Quibus verbis ad punctum convenit id quod de Antonio Paduensi narrat Vita Sanctorum. Quum enim in consessu olim convenerant fratres tum Sancti Francisci, tum Sancti Benedicti, et præpositus consilio episcopus petiisset unum e fratribus prædicatoribus (scilicet Franciscanis) aliquam rei ac tempori aptam hortationem pronuntiare, nullus vero se præberet ad orandum ex improviso, tum jussus Antonius dicere quidquid ei Spiritus Sanctus afflaret et diu renuens, sed auctoritate superiorum coactus, tanta doctrina et suavitate oravit, ut omnes pæne stupefaceret; quippe qui usque ad hanc diem minimus Minorum Fratrum habitus fuerat, et culinarii fratricelli officium gerendi vix dignus. Multis deinceps in locis, fretus illa vi eloquentiæ quam in solitudine et ex vivido divini Redemptoris amore hauserat, multos in gremium Dei reduxit, et amplam quasi vindemiam animarum recollegit. Horum Antonii Paduensis meritorum recordationem ex propria et prope-

modum familiari consuetudine enatam dicas, si attenderis ad verbum illud « *loquebatur* », quo usus est auctor Imitationis. Porro scimus ex Thoma Gallo, qui vitam Antonii Paduensis scripsit illum frequentasse Vercellas (Malou, *Recherches*, p. 273) et ibi habitasse : quod quidem mere congruit cum aliis indiciis de abbate illo Vercellensi sancti libri auctore, et cum tempore quo scripsit aureum id opus, scilicet post mortem Antonii Paduensis, quem suam animam cælo restituisse notum est anno 1231.

XI. — Id autem indicium cum alio concordat, quod codex quidam continet, anno 1406 scriptus. quem, ut jam vidimus (cap. II), a Bibliotheca Parisiensi primaria anno 1869 emptum, Arth. Loth magna ac diligenti opera *(Rev. des Quest. hist.*, 1873, p. 527 et *sqq.;* et 1874, p. 93 et *sqq.)* scrutatus est : quo quidem in codice inter varias lectiones, quæ ex antiquissimo textu provenire videntur, hæc signatur (Imit., III, L, 8) : « *Quantum unusquisque* « *est in oculis tuis, tantum est et non amplius, ait humilis* « *Franciscus* », quum in vulgatis textibus scriptum sit : « ...., *ait humilis sanctus Franciscus* ». Hæc lectio, quæ et in pluribus aliis codicibus exstat (Loth, p. 547), ad id tantummodo tempus referri potest quo nondum Franciscus de Assisio Sanctorum in canonem relatus erat ; hic autem a Gregorio nono, qui papa fuit ab anno 1227 ad annum 1241, inter Sanctos fuit adscriptus. Ergo textus hic : « *humilis Franciscus* » fuerit anno 1241 antiquior. Quinetiam ex hac voce « *ait* » conjectatum est auctorem Imitationis verba illa ex ipsius Seraphici Doctoris ore accepisse ; cui conjecturæ favere videtur annotatio codicis illius, qua docemur hæc Imitationis (III, XXXIV, 1) : « *Ecce Deus meus et omnia.* « *Intelligenti satis dictum est, et sæpe repetere jucundum est* « *amanti* », et illud (I, XIX, 1, *extr.) :* « *Da mihi nunc hodie per-* « *fecte incipere, quia nihil est quod hactenus feci* » esse solita ipsius S. Francisci verba.

XII. — Confirmatur ætas Imitationis aliquot locis ubi innuuntur quædam olim in Ecclesia usitata.

A. — Imitat., IV, IV, 4 : « *Apponam os meum ad foramen*

« *cælestis fistulæ.* » Nonnulli docti animadverterunt, quum olim usitatum esset ipsis fidelibus sub utraque specie, panis scilicet et vini, Eucharistiam porrigi (Cf. quoque IV, II, 5), postea, ne effunderetur sacer liquor, divinam potionem fideles inducto in calicem calamo participare. Sed altera tertii decimi sæculi parte hic usus calami jam obsoleverat.

B. — Imit., IV, V, 3 : « *Sacerdos ante se crucem in casula portat, post se cruce signatus est.* » Multi multa de hoc loco disseruerunt. Verum si oculos conjeceris in casulas secundi et tertii decimi sæculi, quas delineaverunt et Malou (*Recherches,* p. 277) et de Caumont (*Abeccd. Arch. rel.*, p. 256, 259, 450), tum statim agnosces tæniis decussatis, quibus ante et retro casula ornabatur, formari quasi quasdam cruces, ut ipse Malou (p. 276) fatetur, et sic affatim verba illa Imitationis comprobari. Quod autem hæ tæniæ in ×, non in +, decussantur, addam id fortasse ex antiqua opinione provenire, quam Antonius Thysius, in opere « *Roma illustrata* » inscripto (Elzev., 1657, p. 340) his vocibus retulit : « *Decussata crux est in qua duo ligna inter se obliquantur,* « *veluti si, ait S. Hieronymus, duæ regulæ concurrant ad spe-* « *ciem litteræ ×, quæ figura est crucis. Hæc illa est quam* « *Andreanam hodie dicimus, in qua quidem, valida ac satis* « *veteri fama, Jesum ipsum cruciatum* (1). »

C. — Imit., III, XLIX, 6, § 7 : « *Ibi reddam gloriam pro con-* « *tumelia perpessa, palliumque laudis pro mœrore.* » Quum quidem ornamentum id honorarium, *Pallium* nomine vocitatum, sit in Ecclesia vetus, tamen tertio decimo sæculo tantum Gregorius nonus (1227-1241) disposuit quæcumque ad hoc conferendum insigne pertinent, unde factum est ut pallium notum magis hoc ipso tempore fuerit : quæ res suscitare potuit metaphoram notabilem Imitationis.

XIII. — Locus ille Imitationis (III, VI, 6), a me supra usur-

(1) Hic locus Imitationis aliter neque absurde explanatus est. Dictum igitur sacerdotum ornamenta hic designari qualia sunt etiamnunc in Superiore Italia, ubi casula ante habet crucem ab alto ad imum descendentem, et stola, in hac parte quæ largior descendit in sacerdotis dorsum, cruce minuta ornatur. Inde veri simile sit Imitationem in Superiore Italia esse compositam.

patus (p. 54), solus est ubi Imitatio in scenam, ut ita dicam, Diabolum inducit eumque ut viventem ac loquentem effingit. Aliis autem in locis (I. XIII, 1 ; XIX, 4 ; XXVII, 7, *extr.* ; — III, VI, 3 et 4 ; XXXIX, 4 : — IV, XVIII, 3) nil aliud est Diabolus nisi nostra ipsa caro in spiritum rebellans, nisi VETUS HOMO semper superstes. Quod quidem harum ætatum proprium est quibus popularis fides, adhuc per se vivax, nondum stimulis terroris indigebat et ex sese ipsa materiam sibi atque alimentum præbebat. Nec jam idem fuit quum res religionis turbatæ et novis doctrinis temeratæ fuerunt, exortæque sunt discordiæ quæ paulatim Reformationi quam dicunt ostiam aperuere. Illis proinde calamitosis temporibus, Ecclesia armis instruxit, ut ita dicam, sua dogmata, si posset hac vi rebelles animos aut comprimere aut terrere. INQUISITIO scilicet magis ac magis sævire incepit ; Diabolus, in sculptis imaginibus templorum, in publicis prædicantium orationibus, in vulgatis de Sanctorum vita narratiunculis, in theologorum libris, apparuit tanquam portentum quoddam mille formis varium, æternusque tentator, indesinenter in eo occupatus ut ad se alliciat et postmodum in infernas cortinas dejiciat peccatores obstinatos contemptoresque Sanctæ Ecclesiæ. Quæ quidem partes usque prægravantis Diaboli plane in scriptis Thomæ a Kempis apparent, ubi Satanas dæmonesque alii, qui sunt ei pro satellitibus, etiam trecenties et quinquagies circiter inveniuntur (Cf. Tamizey de Larroque, *Annales de philosophie chrétienne*, 1861), quum contra in Imitatione de Diabolo septies tantum sit mentio facta et inferni supplicia semel depicta sint.

XIV. — Denique pro illa quam prætendimus ætate Imitationis certant etiam et discrimina quæ notantur inter manu scriptos codices, et menda numerosa quæ offendere est sive in præfato anni 1406 codice, sive in aliis quos quarto decimo sæculo scriptos esse creditur, sive etiam in perscriptura Thomæ a Kempis, quamvis eam tanta diligentia Sommalius aliique editores jam emendaverint. Enimvero ex his mendis et varietatibus codicum liquet textum quemdam primigenium atque unicum, per temporis cursum admodum fuisse adulteratum et ignava manu accumulatisque negligentiis monasticorum transcriptorum graviter deformatum. Adde vetustissimos manu scriptos codices fuisse alios in Italia, alios in Suevia, in Gallia, in Inferiore Austria, in Bavaria,

in Flandria atque in aliis regionibus repertos, sic diffuso opere ut inde perspicuum fiat longum transisse tempus ex quo compositum fuerit.

XV. — Quæ quidem varia indicia doctorum virorum opinionem corroborant, qui tertio decimo sæculo Imitationem assignavere : in quibus, præter eos qui septimo decimo et octavo decimo sæculo floruerunt, ut Rossignolius, Cajetanus, Valgravius, Quatremarius, Launoiius, Delfavius, Mabillio, Ehrardus, Valartius, Mœrzius, non omittendi sunt et recentiores ; exempli gratia, Chateaubriand (*Génie du Christ.*, III, IV, 2) a quo *Imitatio* vocatur « *cette espèce de phénomène du XIIIe siècle* », Napione, Grégory, Lamennais (in præfatione versæ gallice Imitationis), qui ejus auctorem esse arbitratur « *un pauvre solitaire du XIIIe siècle* », Montalembert (*Introd. à l'Hist. de sainte Elisabeth de Hongrie*), Micheletus, a quo (lib. X, cap. I) hoc scriptum est : « *Le livre éclate au XVe siècle;* « *mais il a l'air de partir de très loin et d'avoir été préparé dans* « *les siècles antérieurs* ». Philarète Chasles (in *Diario Disputationum*, III Kal. octob. MDCCCXLVI), qui eum librum habet uti unum « *témoin véridique de l'état des esprits au XIIIe siècle* », Melzi, Renan (apud Malou, *op. l.*, p. 44), a quo hæc scripta sunt : « *Deux résultats importants paraissent désormais acquis.* « *D'abord le livre de l'Imitation est du XIIIe siècle, de la fleur* « *du moyen âge et non de sa décadence ; en second lieu, il est* « *probable que l'ouvrage est originaire d'Italie.* » Inter recentissimos autem disputatores, Arth. Loth (*lib. l.*, p. 547) dicit : « *Le* « *texte original peut être contemporain de saint François* « *d'Assise.* » Abbas Ducis (*L'aut. du Traité de l'Imit.*, p. 34) hæc : « *On peut donc circonscrire entre les années 1229 et* « *1250 l'espace des recherches sur l'auteur de l'Imitation.* » Postremo R. D. Puyol (*La doctrine du livre de l'Imitation*, p. 486) adeo et tam diutine controversam rem egregie explanare atque enodare mihi videtur notabilibus his verbis : « *On ne* « *s'expliquerait pas que la Sainte-Chapelle pût être un fruit du* « *XVe siècle hollandais ; il n'est pas moins difficile de com-* « *prendre que l'Imitation puisse avoir une autre origine que* « *l'Italie du XIIIe siècle.* »

XVI. — Verum ad hanc tertii decimi sæculi datam ætatem

opponi potest atque reipsa opponitur (Loth, *op. l.*, p. 112) quod ex anno circiter 1240, quo tempore scriptam Imitationem esse autumamus, nullam, quam sciamus, hujus libri mentionem subsequentes scriptores fecerint, quum opus tantummodo tertia quinti decimi sæculi parte, paulo postquam Thomas a Kempis decesserat, innotescere inceperit. Quî prorsus fieri possit ut, si talis liber exstitisset, nullum hujus vestigium per tam longum temporis spatium reperiatur?

Primo quidem adspectu firmum et stabile videtur id argumentum, sed propius inspicienti caducum. Qui enim id objiciunt, iidem declarant librum jam anno 1410 (Malou, *op. l.*, p. 211) aut etiam media quarti decimi sæculi parte circa annum 1350 (Loth, *op. l.*, p. 115) exstitisse. Porro ipsi conveniunt (Malou, p. 77; Loth, p. 112) nullum auctorem de eo libro meminisse ante J. Buschium (1464), cujus testimonium etiam incertum est, atque aliquot viros qui omnes aut in congregationem Windeshemensem cooptati erant aut huic congregationi fuerunt affines, e qua fuit quoque Thomas a Kempis. Hæc autem boni ac fidi sodalitii testimonia si removeas, nulla usquam sancti libri commemoratio est, qui quum lateat in monasteriis, foris ignotus omnino permanet. Arte autem typographica recens reperta (1462), tum primum innotescere Imitatio incepit, cujus ab anno 1472 ad annum 1500 editiones triginta quinque, Gersonis aut Gersenis, viginti duæ Thomæ a Kempis, et quinque B. Bernardi sub nomine excusæ sunt (Malou, *Recherches*, p. 114 et 303).

Tum Jesuitarum Ordo, nuper institutus, ipse diffundendo operi haud parum contulit. Sanctus enim Ignatius de Loyola (1491-1556), divini libelli amore succensus, eum in omnes Ordinis domos diffudit, ita ut, ait Bollandus (apud Puyol, *La doct. du liv. de l'Imit.*, p. 31, not. 1) « *ne unam reperire esset cellulam* « *quæ non haberet incolam et perpetuum hospitem librum* « *Imitationis.* » Nihilominus vero, etsi liber ita evulgatus fuerit, fatendum est a nullo auctore sexti decimi sæculi tam insigne opus fuisse memoratum. Nam neque Lutherus, neque Rabelæsius, doctor ille pæne universalis, neque Calvinus, in sua *Institutione religionis Christianæ*, neque Montanus, in re morali indagator scitissimus, neque Pasquierus, in omni disciplina tam eruditus, neque tot alii de hoc libro verbum vel unum fecere. Septimo decimo sæculo tantum, quum de operis auctore contro-

versia exorta est, tum primum liber publice innotuit et famam suam adeptus est. Quod si igitur constat scriptores omnino de Imitatione e quarto decimo ad septimum decimum sæculum siluisse, quidni idem silentium jam inde a tertio decimo sæculo fuisse arbitremur, quum et vix exaratum opus esset, et adhuc lateret in umbra claustrorum, pro quibus revera factum fuerat?

CAPUT SEXTUM

REFUTATUR OPINIO QUA PLURIBUS AUCTORIBUS, PLURIBUS QUOQUE TEMPORIBUS IMITATIO ASSIGNATA EST

PARS PRIOR

UNITAS OPERIS E CONTINUATIONE LIBRORUM ET CAPITUM EXSERTA

Quis sit ordo in Imitatione necesse est ut inquiramus adversus eorum opinionem qui volunt hoc divinum opus esse quamdam quasi vermiculatam compositionem ex diversis diversorum sententiis per varios auctores variis etiam temporibus conflatam.

Jam anno 1662, J.-M. Suarès, episcopus Vasionis in Avennico, censuerat primum librum a Joanne, abbate Vercellensi fuisse compositum, secundum ab Ubertino de Casali, tertium a Petro Renalutio, quartum a Gersone, totumque fuisse a Thoma Kempensi conditum.

Franciscus de Salis antea nullum alium auctorem Imitationis agnovit, nisi Spiritum Sanctum (Michelet, lib. X, c. I); nec multum differt ab ea opinione Micheletus ipse, qui (*Ibid.*) Imitationem esse opus sæculorum et quamdam regularum monasticarum coagmentationem, paulatim exaggeratam, arbitratur.

In eamdem aut prope similem sententiam concesserunt et J.-J. Amperius, quum politiores litteras in Collegio Franciæ doceret, et doctissimus vir Victor Le Clerc, cujus in præfatione Imita-

tionis latino-gallicæ, editæ anno 1854, hæc verba sunt : « *Nous* « *croyons, comme on l'a déjà conjecturé, que l'ouvrage est de* « *diverses mains et de divers temps.* » Addas Silv. de Sacy, qui, in præfatione quam apposuit novæ editioni Imitationis a Marillaco translatæ (1853-4), dixit : « *Il n'y a pas d'auteur à un livre comme* « *celui-là : l'auteur, c'est l'humanité chrétienne tout entière.* » Addas et illum, tam nefaria internecione interemptum, Ecclesiæ Parisiensis præsulem, R. D. Darboy, qui circonspecto judicio, quum de his quæstionibus summatim tractaret, sic locutus est : « *L'auteur de l'Imitation, à supposer qu'il n'y en ait qu'un seul...* » (Præfat. translatæ Imitat., p. XIV.)

Moland et d'Héricault, in præmonitu libri « l'*Internelle conso-* « *lation* », multo expressius de re pronunciant ita : « *Ce livre,* « *comme toute la littérature du moyen âge, comme tous les* « *grands poèmes des littératures primitives, a le caractère* « *cyclique... Le travail commença probablement au XII*e *siècle,* « *la grande époque du mysticisme, dans quelque monastère* « *inconnu, et se prolongea dans les deux siècles suivants,* « *chaque génération monastique y apportant sa pensée et ce* « *livre se développant ainsi par une agrégation continuelle, par* « *une sorte de cristallisation insensible.* » (P. XIV, XVIII, XXXV.)

Igitur, secundum hos scriptores, Imitatio haud absimilis fluvii Nili foret, qui, quum ex variis ignotisque fontibus oriatur, aut, ut quidam voluere, ex ipso terrestri Paradiso exeat (Cf. Joinville, éd. Didot, in-12, p. 59), immensæ regioni vim fecunditatis maximam affundit.

Oportet vero aggrediar demonstrare ordinem certum in Imitatione esse, plenum artis et distincte per gradus dispositum, unamque esse in toto opere compositionem, ita ut, quum non excludatur ab opere Sanctus Spiritus, saltem pateat hunc interprete usum esse sane erudito et conditionum humani operis minime inscio. Duplex sit igitur mihi propositum, primo generalem Imitationis ordinem et tenorem explicare, dein per singula subinde capita continuam seriem totius libri explanare.

A. — Duo priores Imitationis libri in unum propositum coeunt, quod spectat PURGATIVÆ quam dicunt VIÆ præcepta, et signacula habent liminaria « *Qui sequitur me* » (I, I), « *Regnum Dei* »

(II, I), quæ, in fine secundi libri repetita, hanc priorem operis partem includunt et terminant (II, XII, 15) : « *Tollat crucem suam* « *et* sequatur me. *Omnibus ergo perlectis et scrutatis, sit hæc* « *conclusio finalis, quoniam* (gallice : *que*) *per multas tribula-* « *tiones oportet intrare in* regnum Dei. »

Tertius dein liber præcepta comprehendit ILLUMINATIVÆ, ut aiunt, VIÆ, jam prænuntiatæ in primo hisce verbis (I, I, 1) : « *Si* « *velimus veraciter illuminari.* » Neque hic tantum de purgandis cupiditatibus agitur, ad intrandum in regna Dei; sed jam cum Deo ipso commercium ineundum et quid intra nos loquatur audiendum (III, I) : « *Audiam quid loquatur in me Dominus* « *Deus.* » Quum vero Deus in nobis loquitur, quid est aliud quam ejus gratia quæ in nos penetrat, in nobis agit, et nos docet contemnere mundum, nosmetipsos despicere, et ab omni terrestri vinculo nos abdicare, ut illi unice devinciamur qui illuminat intellectum in hac mortali vita, et nos e tenebris mortis in patriam perpetuæ claritatis perducet (III, *ult.*) : « *E regione* « *umbræ mortis dirige animam servuli tui ad patriam perpe-* « *tuæ claritatis* » ? Ergo tertius hic liber proprius ac peculiaris gratiæ liber dici potest; duos præcedentes absolvit et coronat, et ad quartum perducit, quocum annectitur his verbis (III, LIX, 4) : « *Benedic et sanctifica animam meam, ut fiat habitatio sancta* « *tua... Secundum magnitudinem bonitatis tuæ respice in me,* « *et exaudi orationem pauperis servi tui;* » quibus verbis respondent hæc quarti ineuntis : « *Venite ad me omnes qui labo-* « *ratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Panis quem ego* « *dabo caro mea est,* » et paulo ultra (IV, I, 2) : « *Jubes, Christe,* « *ut fiducialiter ad te accedam, si tecum velim habere partem,* « *et ut immortalitatis accipiam alimoniam.* »

Quartus autem liber necessarius est, nec potest abstrahi ab opere, ut abstraxere plures seu librarii, seu interpretes, quum eum, puto, tanquam nimis ad liturgiam pertinentem habuerint. Necessarius est; nam hoc complemento operis ablato, vita spiritualis, quam totum opus spectat, non absolvitur et quasi truncata manet. Anima enimvero Christiani, patefacto ad spiritualem vitam in duobus primis libris aditu, postquam in tertio per gratiam cum Deo communicavit, in quarto non jam solum communicatione cum Deo, sed communione conjungitur. Complentur sic tres vitæ spiritualis gradus : via PURGATIVA, via ILLUMINATIVA, denique via

illa UNITIVA, in qua suum gratia totum effectum, plenam suam consummationem habet.

Ita sese explicit et vero Christiano explanatur problema illud implexum et arduum, quonam modo concilientur inter se liberum hominis arbitrium et voluntas Dei, quæ quæstio ab temporibus Pelagi et sancti Augustini firmissimos animos inquietare non cessaverat. Gratia nimirum tanquam pons cœlum ac terram interjungit, quippe quæ nihil aliud sit quam voluntas divina sese in humanam voluntatem infundens. Itaque Imitatio, quum plena sit gratiæ, in ipsa Eucharistia finem habet, quo quidem sacramento, conjunctis una divina atque humana substantia, gratia prorsus plane perficitur. IV, XIII, 1 : « *Tu in me et ego in te, et sic nos* « *pariter in unum.* »

Et quidem quum hanc veram ac substantialem cum Deo unionem Imitatio repræsentat, tum maxime spirituali affectu abundat, unde fit ut in illo quarto libro elatissimus impetus, vehementissimus amor, vividissimus fervor appareant.

Clauditur Imitatio ut incepit, hoc magis ac magis instanti præcepto, ne fidelis anima velit divina mysteria scrutari, sed vanas inquisitiones fugiat, suumque ipsius proprium humiliet sensum, qui nihil est nisi superbia ac diffidentia, et potius amplectatur simplicem illam fidem, quæ opera bona operatur ducemque in via sua habet Sanctorum Prophetarumque vocem, et Scripturam quæ ipsius Dei vox est. IV, XVIII, 3 : « *Crede verbis Dei, crede Sanctis ejus et Prophetis, et fugiet a te nequam inimicus* ». — I, III, 2 : « *Cui æternum verbum loquitur, a multis opinionibus expeditur.* »

II. — Operis unitas conjunctione et continua colligatione omnium capitum comprobatur.

PROŒMIUM. — Primum omnium animadvertenda sunt hæc : Unusquisque liber Imitationis quasi seriem quamdam lectionum continet, quarum quæque varium capitum numerum complectitur. Sunt, ut ita dicam, velut parvi et continui sermones in quibus diligens ille magister sæpe de iisdem rebus loquitur, ut ipse declarat (III, XXXVII, 5), nunquam tamen omnino eadem dicens aut iisdem verbis. Fidelis, in persona cujus alioqui exprimitur totus fratrum conventus, verba obsequenter audit, et sese docilem ac

bonæ voluntatis plenum semper præstat. Quinetiam quum aliquando incalescat, magnis illis veritatibus excitatus quas ei vox Domini revelat, ipse tunc, quasi divino afflatu instinctus, canticum fervoris et amoris effundit; sed usque redit ad querelas et gemitus, multa præsertim questus de impugnationibus carnis: nempe manifestum est id præcipuum ei esse impedimentum. Huic autem parti divinus collocutor nunquam directo respondet: mavult nimirum de ea re tacere atque animum Discipuli deflectere ad ea quæ possint eum ab his periculosis excogitationibus deterrere: animam scilicet Fidelis extollit ut a luto eripiat.

His autem præpositis, superest ut totum opus per partes breviter explicemus. In eas vero partes librum distribui (quum tamen illum non infitias eam aliter posse dividi) quæ mihi visæ sunt et simpliciores et aptiores proposito atque ordini totius operis, in quo quidem doctus magister, quamvis spontaneos motus ac liberas effusiones cordis sui sequatur, idem nihilominus in docendo constanti progressu incedit, et SPIRITUALITATIS magis ac magis ad summum grassantis vias attente describit. Ceterum non alia componendi ratione, eodem, ut verisimile est, tempore, usus est Sanctus Bonaventura in tractatu *De Profectu religiosorum,* ut ipse his verbis declarat (Puyol, *La Doct. du liv. de l'Imit.,* p. 60): « *Collationes meas quas pro exhortatione ad novitios nostros vel ad alios religiosos aliquando facere solebam, simul pro aliqua parte collegi et in unam continuam materiam, quasi profectus spiritualis formulam, ordinavi* ».

SUMMA LECTIONUM. — Ea est quam in opere esse intelligo series lectionum:

LIBER PRIMUS. — Primus liber, postquam in primo capite enuntiatum est quid sibi auctor in opere toto proposuerit, lectiones quatuor amplectitur: quarum prima (II-IX) postquam de humilitate tractavit, ad obedientiam perducit; secunda (X-XIII) præcipit vigilare super seipsum et ad id pervenit ut tentationibus resistamus; tertia (XIV-XX) quæ sint communis vitæ officia explanat et secessus ac solitudinis amorem docet, quarta (XXI-XXIV) monstrat quos ferant fructus COMPUNCTIO et piæ meditationes, quibus quidem e vitæ præsentis miseriis anima ad cælum erigitur et ad finalis judicii cogitationem. Ultimum caput (XXV) summam rerum tractatarum et conclusionem continet.

Liber secundus. — Unde autem Fidelis habebit tantam vim ut ea omnia officia præstet? Quibus alis ad eas altas cogitationes efferetur? Ad quem confugiet, quum humiliabitur, affligetur, tentabitur? His quæstionibus respondet liber ille secundus in quo duas lectiones invenias. Priore enim (i-vi) patet totam vim Christiani omnemque consolationem in Jesu esse repositam. Altera autem (vii-xii) demonstratur non semper a summo hoc domino simul atque amico gratiæ præsidium concedi, sed prece vult peti et dolore acquiri. — Jam igitur hæc secunda pars gratiam attingit, quæ præcipua tertii libri materia erit.

Liber tertius. — Is tertius liber exorditur a quadam pia meditatione atque invocatione (i et ii), qua peracta Dominus invocatus init colloquium cum Fideli, et in serie lectionum, quibus subinde intermiscentur Fidelis et preces et animi effusiones, vias ei aperit vitæ spiritualis.

Lectio prima (iii-x) : De fiducia erga Deum : diffidendum de mundo, de se ipso diffidendum ; totum esse oportet in amore Dei et cuncta expectare ex ejus gratia, de qua nunquam, sive accepta superbiendum, sive negata diffidendum est. — Firmum Fidelis propositum.

Lectio secunda (xi-xvi) : De virtute et meritis obedientiæ Deo, qua sola via est ad pacem internam et veram beatitudinem. Oratio et pia meditatio Fidelis.

Lectio tertia (xvii-xxii) : De patientia : Fidelis, quamvis totum se divinæ voluntati grato animo committat, labores suos et luctationes quas habet confitetur, Jesum ardenter invocat et sese sua prece fortiorem factum sentit.

Lectio quarta (xxiii-xxviii) : Hunc vias veræ libertatis docet Dominus.

Lectio quinta (xxix-xxxii) : Quid diebus tribulationis agendum sit.

Lectio sexta (xxxiii-xl) : De sui ipsius abdicatione et de rerum omnium terrestrium contemptione.

Lectio septima (xli-xliv) : Nihil amandum nisi in Deo et propter Deum.

Lectio octava (xlv-l) : Vita hominis labor et probatio est, sed probatio quæ testem habeat Deum, et ad præmium infinitum tendat.

Lectio nona (li-lix) : De gratia ; per Crucem comparatur.

Liber quartus. — Hic agitur de Sacramento augusto per quod in christiana anima consummatur vita illa spiritualis jam in tribus prioribus libris inchoata et informata.

Hujus totius libri fundamentum, sicuti ipsius Sacramenti, verbum est quo Christus sacram illam refectionem instituit. Ergo primum magister sacrum textum transcribit, ultimarum lectionum materiam.

Lectio prima (i-iv) : Quam ineffabilem virtutem habeat Sacramentum Altaris.

Lectio secunda (v-ix) : Quam purus esse debeat qui sanctum illud sacrificium offert.

Lectio tertia (x-xi) : De frequenti communione.

Lectio quarta (xii-xviii) : Gratiæ dona sunt necessaria ut salutariter id sacramentum excipiatur.

(Vide in fine voluminis Appendicem.)

PARS ALTERA

UNITAS OPERIS PER UNITATEM DOCTRINÆ CONFIRMATA

Unitati operis demonstrandæ prodest etiam unitas non modo compositionis, sed doctrinæ. In qua quum nihil magis referat quam investigatio de prædestinatione et gratia, hanc quæstionem in medium adducam, ut appareat quam concordes in ea difficillima re et sibi constantes sint diversæ partes Imitationis.

Simplicissima simul et alta et profunda est in aureo tractatu illa quam dico doctrina, et sine ullis ambagibus conciliat operam Dei cum opera hominis.

Præpollet, ut par est, opera Dei, neque ullus scriptor unquam de supremo illo Opifice grandioribus verbis locutus est quam Imitatio, divinarum Scripturarum succo et sublimitate ipsa nutrita. I, xxv, 10, *extr.* : « *Omnia ei vivunt et ad nutum incunctanter*

deserviunt ». — III, xiv, 1 : « *Cœli non sunt mundi in conspectu tuo* ». — III, xxi, 7. *extr.* : « *Sunt opera tua bona valde, judicia vera, et providentia tua reguntur universa* ». — III, l, 4 : « *Sine consilio et providentia tua et sine causa nihil fit in terra... Didici etiam ex hoc inscrutabile judicium tuum expavescere, qui affligis justum cum impio, sed non sine æquitate et justitia* ». — IV, i, 2, *extr.* : « *Ecce cœli cœlorum te non capiunt* ». — IV, ii, 4, *ult.* : « *Dixisti enim, et facta sunt omnia, et hoc factum est quod ipse jussisti* ». — IV, v, 1, *ult.* : « *Invisibilis operator, cui subest omne quod voluerit, et paret omne quod jusserit* ». — IV, ix, 1 : « *Domine, omnia tua sunt quæ in cœlo sunt et quæ in terra* ». Addas etiam II, v, *extr.* ; - III, iii, *ult.* ; x, 3, § 3 ; xiii, 2 ; xxxviii, 1, *ult.* ; xl, 2 ; xlvi, 4. — III, iii, iv, § 1 et 4 ; ii, 2, § 2 et 6 ; xviii, 15, § 3 et 4.

Homone solus extra dominatum hujus summi omnium rerum Rectoris erit? Insanus vere qui tale quid opinaretur. Imitatio autem multa vi contrariam sententiam profert. III, iii, 7, § 3 : « *Sapientia mea tu es, qui in veritate me cognoscis, et cognovisti antequam fieret mundus et antequam natus essem in mundo* » (1). — III, lviii, 3, § 4 et lviii, 4, § 2, *extr.* : « *Ego præscivi dilectos ante sæcula... Ego eos prædestinavi sine ullis præcedentibus propriis meritis.* » — *Ibid.*, n° 8, § 2 : « *Ego eis cuncta ex infinita charitate mea donavi* ». — IV, xii, 1, § 1 : « *Ego sum dator omnis sanctitatis.* » Insuper vide, sis : I, xv, 3, § 3 ; xix, 2, § 4 et 5 ; — II, xii, 8, § 5 ; — III, xxii, 5, § 1, *extr.* — xlviii, 3, § 5 ; l, 3, § 3 ; — IV, xii, 2.

Hæc est plane S. Pauli doctrina (*Rom.* ix, 11, *sqq.*), Dei ipsius verbis subnixa : « *Miserebor cui voluero, et clemens ero in* « *quem mihi placuerit* » (*Exod.* xxx, iii, 19). — « *Ergo,* inquit « Apostolus, *cujus vult miseretur, et quem vult indurat* » (*Rom.*, ix, 18). — Sic præscivit suos, qui « *secundum electionem* « *gratiæ* » ejus salvi facti sunt. « *Si autem gratia, jam non ex*

(1) B. Augustinus, *Soliloq.*, c. vii, § 3 : « *Ecce ego sum, quia tu creasti me : et* « *quod me creares ab æterno tu præordinasti, antequam quidquid faceres a prin-* « *cipio, antequam extenderes cælos, necdum erant abyssi.* » (Adde c. xxvi, § 1). Neque aliter locutus est insignis ille et ingenio et pietate philosophus Newton : « *Omnipotens est et omnisciens, omnia regit et omnia cognoscit quæ fiunt aut fieri* « *possunt.* » (Apud Saisset, *Essai de Philosophie relig.*, p. 156.)

« *operibus : alioquin gratia jam non est gratia* » (*Rom.*, XI, 5 et 6). Nihil est dumtaxat nisi a Deo « *et investigabiles sunt viæ* « *ejus... quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* » (*Ibid.*, 33 et 36).

Jesus autem, non adeo, ut mihi quidem videtur, in hac re assertor, tamen de æterna prædilectione in parabola illa de Servorum talentis (*Matth.*, XXV, 34 ; Cf. Imit., III, XLVIII, 3, § 5) ita pronuntiat : « *Venite, benedicti Patris mei : possidete paratum vobis* « *regnum a constitutione mundi.* »

Ast Imitatio, non secus atque sana ratio, non secus atque Ecclesia, hominem minime habet ut servum, necessitate quadam sive sceleri sive virtuti obstrictum atque inhærentem. Potuerit quidem sine dubio nos Deus tales efficere, qualia sunt bruta animalia, indoli suæ servientia et cæci instinctus imperio subdita. Quum autem, præ sua infinita bonitate, nos ad imaginem suam et similitudinem creaverit (*Gen.*, I, 26; Imit., III, 54, *ult.* et 55, *init.*), id est quum nos fecerit liberos et nostri juris, exinde nobis non dignitatem modo, sed et immortalitatem paravit ; etenim absque libertate nulla merita esse possunt; absque meritis nulla vita futura.

Hæc autem libertas quonam signo agnoscitur, nisi imperio quod in se ipsum homo exercet? Aut quasnam partes in nostra vivendi ratione agere debet, nisi pravos sensus nostræ naturæ, ab origine ipsa deformatæ, refrenare? Inde tot et tam urgentes Imitationis adhortationes ut indesinenti pugna inimico resistamus et optimam coronam de nostro ipsorum corde victo ac triumphato mereamur (I, III, 3, *extr.* : « *Quis habet...* » ; — III, VI, 4, *extr.* : « *Certare autem...* » ; — III, XLVIII, 4 : « *Sic ego...* »).

Luctati sunt Sancti, vigilarunt, siti ac fame voluntarie laboraverunt ; preces suas ante crucem cum lacrimis sparserunt; carnem suam cruciaverunt (I, XVIII, 1, *sqq.* ; XXII, 4; — II, IX, 4, *extr.* ; XII, 6, § 1 ; — III, XXXV, 3, *extr.*). Omnis homo eorum vestigiis ingressus idem potest, semperque Deus nobis in hoc prælio auxiliari paratus est. Imit., I, XI, 4 : « *Si niteremur, sicut viri fortes,* « *stare in prælio, profecto auxilium Domini super nos videre-* « *mus de cælo. Ipse enim certantes et de sua gratia sperantes* « *paratus est adjuvare, qui nobis certandi occasiones procurat* « *ut vincamus.* » — III, VI, 4, *extr.* : « *Certare autem adver-* « *sus incidentes malos motus animi, suggestionemque sper-*

« *nere Diaboli, insigne est virtutis et magni meriti.* » — IV, xii, 2, § 3 et 4, et *ibid.*, 3, § 2 : « *Fac quod in te est,... ego sup-* « *plebo quod tibi deest... Si aridum te sentis, insiste orationi,* « *ingemisce et pulsa.* » — III, xxxv, 2, § 3 et 4 : « *Pro amore* « *Dei, debes omnia libenter subire, labores scilicet et dolores,* « *tentationes, vexationes, injurias... Hæc juvant ad virtutem,* « *hæc probant Christi tironem, hæc fabricant cælestem coro-* « *nam.* »

Consociatur ergo divinæ actioni homo et suæ ipsius sive salutis, sive damnationis cooperator efficax est. Nec aliter pronuntiat Concilium Tridentinum (*Sess.* VI, *Can.* iv), cujus sunt hæc verba : « *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, a Deo motum et* « *excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque* « *vocanti, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime* « *quoddam nihil omnino agere, mereque passive habere ; ana-* « *thema sit.* » Et *Can.* vi : « *Si quis dixerit non esse in potestate* « *hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona,* « *Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et* « *per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio* « *Judæ quam vocatio Pauli ; anathema sit.* » Adde *Can.* xvii.

Deus tamen prævidit fore ut Juda fieret proditor, et id ex omni æternitate permisit ; namque nihil fit sine voluntate ejus (Imit., III, l, 4, § 2) ; et quidquid vult, potestati ejus ministrat (Imit., I, xxv, 10, *extr.* ; — III, xlvi, 4, § 2 ; — IV, v, 1, *ult.*). Quid enim statutum est illi nisi semper regnare ?

Sensus autem hominum communis et propria nostra experientia omnino cum Imitatione atque Ecclesia concordant. Quis enim nostrum in se non sensit sentitque quotidie hoc arduum certamen e quo vix victor evadere potest ? « *Sentio enim in carne mea* « *legem peccati contradicentem legi mentis meæ et capti-* « *vum me ducentem in multis* » *(Rom.*, vii, 23 ; Imit., III, lv, 1, § 2). « *Hinc accidit quod viam perfectionis agnosco,* « *et qualiter agere debeam clare satis video ; sed propriæ cor-* « *ruptionis pondere pressus, ad perfectiora non assurgo* » *(Rom.*, vii, 18 ; Imit., III, lv, 3 *extr.).* Quis nostrum non audit in se hanc intimam vocem, nunquam cessantem, veram Dei vocem, ad quam surdus est homo, quando utilitas, ambitio, amicitia aut odium, libido, multifariæ demum cupiditates, importunæ

cordis nostri incolæ, contrariam vocem mittunt? Imit., III, III, 3 : « *Ego. inquit Dominus, non cesso omnibus loqui : sed multi ad* « *vocem meam surdi sunt et duri.* »

Hæc vox Dei gratia est, cælitus infusa; hæc est « *fons aquæ* « *salientis in vitam æternam (Joan.,* IV, 14*)* ; Cf. Imit., III, XXIII, 9 : *Effunde gratiam desuper, perfunde cor meum rore cælesti* » ; hæc est donum gratuitum, quod fovent pii amore et gratiarum actione (Imit., II, IX, 4, § 1), quod mali et impii negligunt aut abnegant (1) (Imit., IV, I, 11), donec utrique sistant ante thronum divinæ majestatis, ubi « *unicuique redditur secundum* « *opera ejus* » (Matth., XVI, 17; Imit., III, 36, *in fine*). « *Vivo ego,* « *dicit Dominus, qui nolo mortem peccatoris, sed magis ut con-* « *vertatur et vivat* » (IV, 7. *extr.*) Cf. Conc. Trid., *Sess.* VI, *Can.* XVII.

Illa est Imitationis de prædestinatione et gratia vere christiana et sublimis doctrina, quæ in cunctis fere libri paginis semper eadem patet : quod quidem, ut dixi, unum et eumdem auctorem testari mihi videtur.

(1) *Le nôtre s'endurcit, la repousse, l'égare :*
Le bras qui la versait en devient plus avare,
Et cette sainte ardeur qui doit porter au bien
Tombe plus rarement ou n'opère plus rien.

(Corn., *Polyeuct.*, I, I, *vers.* 33-36).

CAPUT SEPTIMUM

QUÆ FUERIT OPERA THOMÆ A KEMPIS IN CONDENDA IMITATIONE

PARS PRIOR

COLLATIO TEXTUS KEMPISII CUM ARONENSI ET CODICE DICTO DE ADVOCATIS

Codex Aronensis a R. D. Puyol anno 1886, et jam antea a Dom. Cajetano anno 1616 editus, quum nullam temporis quo scriptus est mentionem habeat, a consessu virorum peritorum anno 1687 congregato ter centum prope annorum judicatus est. Igitur circa annum 1387 fuerit exaratus. Kempistæ autem, rejecta hac codicis antiquitate, satis tamen antiquum eum esse confitentur : « *Nous « avons prouvé,* ait Malou, p. 191, *que le codex d'Arona était « réellement du quinzième siècle.* » Juxta hanc opinionem, codex Aronensis fere circa idem tempus fuerit scriptus atque Antuerpiensis qui anno 1441 exaratus est.

Codicis autem *de Advocatis,* qui anno 1830 repertus est et anno 1843 excusus, ætas incerta est.

Qui quidem codices, Aronensis scilicet et *de Advocatis* ab illo Kempensi notabilem in modum differunt.

Præcipua quædam differentia est quod Kempisius textus sæpe verba continet quibus sententiæ fortiores, clariores, distinctiores

legentibus fiant, quæ quidem verba non in Aronensi codice invenias. Hæc exempli gratia referantur :

I, I, 3, § 4. — Ex Aronensi codice : « *Si scires totam Bibliam,* « *et omnia philosophorum dicta, quid totum prodesset sine cari-* « *tate Dei et gratia ?* »

E Kempisio textu : « *Si scires totam Bibliam* exterius, *et* « *omnia...* » (1).

I, V, 1. — Aron. : « *Ita devotos et simplices libros legere debe-* « *mus sicut altos et profundos.* »

K. : « *Ita* libenter *devotos,* etc... » (2).

I, XV, 1. Aron. : « *Opus bonum intermittendum est...* »

K. : « *Opus bonum* libere *intermittendum est* » (3).

I, XIX, 1. — Aron. : « *Et* merito *plus debet esse intus quam* « *quod cernitur foris.* »

(1) Neque cod. *de Advoc.* habet hoc *exterius*, quod plerique interpretes vertunt quasi significaret « *par cœur* » ; unde præ gaudio exsultat doctissimus Malou. Quum enim hoc verbum, ut videtur, flandricæ cuidam dictioni respondeat (*van buiten*), cujus sensus est « *par cœur* », concludit Malou Flandrum esse auctorem Imitationis, neque alium esse posse ac Thomam a Kempis. Quod quidem argumentum docto Malou adeo placet, ut ad id omni tempore redeat : hoc illi est suum « *tarte à la crême.* » Doleo quod flandrici sermonis rudis et ignarus sim ; sed quicumque sunt in mundo flandricismi non mihi persuadebunt *exterius* idem valere atque *interius*. Arbitror igitur *exterius* (quod aliunde perperam ad *philosophorum dicta* quoque refertur) idem in hoc loco significare atque in tota Imitatione aliisque quibuslibet libris, id est : « *par le dehors, non penetrato sensu intimo ac spirituali,* » quod his verbis respondet (I, I, 2, § 1 et 3) : « ... *qui spiritum haberet..., qui spiritum non habent.* » Solus Dassantius bene hanc vocem intellexit, quam sic vertit : « ... *à la lettre.* »

(2) Marillacus ita vertit : « *Nous devons lire les livres dévôts et simples, tout* « *ainsi que nous faisons de ceux qui sont hauts et profonds.* » Nec igitur habuit in suo textu illud *libenter* et unus est qui cum Aronensi congruat, quod sæpe fit, ut videbimus ; et ut quanti momenti res sit intelligamus, observandum est veterem Marillaci translationem (1621) ipsam profectam esse a multo vetustiore translatione, Tolosæ excusa anno 1488, et ad annum circiter 1450 referenda : quo tempore Kempisia transcriptio nondum vulgata erat. (Cf. Barbier, *Diss. sur 60 trad. franç. de l'Imitat.*, p. 2 et 18.) Nec novisse videtur textum Kempisium auctor celeberrimæ translationis *L'Internelle Consolation*, quam Moland et d'Héricault, p. LXXXIX, ultra annum 1447 initium cepisse autumant.

(3) Animadvertendum est interpretem nullum, exceptis tamen Bauzæo, qui vertit : « *Il faut quelquefois de propos delibéré...,* » et Dassantio, neque *Internæ Consolationis* auctorem, neque Marillacum, Saci, Choisy, Brignonem, Valartium, Lamennais, Darboy, hanc inutilem vocem *libere* vertisse.

K. : « *Et* merito multo *plus debet...* » (1).

I, XXII, 4. — Aron. : « *Ferebatur totum desiderium ad man-*
« *sura et invisibilia.* »

K. : « *Ferebatur totum desiderium* sursum *ad mansu-*
« *ra...* » (2).

I, XXIII, 7, § 4. — Aron. : « *Vita hominum tanquam umbra*
« *pertransit.* »

K. : « *Vita hominum tanquam umbra* subito *pertransit* » (3).

II, VIII, 3, *extr.* — Aron. : « *Sit Jesus dilectus specialis.* »

K. : « *Sit Jesus* solus *dilectus specialis* » (4).

II, IX, 7. — Aron. : « *Nunquam inveni aliquem religiosum*
« *qui non habuerit interdum gratiæ substractionem.* »

K. : « *Nunquam inveni aliquem* tam *religiosum* et devotum,
« *qui non...* » (5).

II, X, 3. — Aron. : « *Libenter accepto gratiam unde humilior*
« *inveniar.* »

K. : « *Libenter accepto gratiam unde* semper *humilior inve-*
« *niar* » (6).

(1) Cod. *de Advoc.* habet *multo*. Genuina sane lectio est *merito* (Aron.), quod librarii quidam *multo* esse crediderunt ; alii autem, quum hæc verba in diversis manu scriptis codicibus invenirent, utrumque in textum inseruere, ut A Kempis. Ceterum perspicuum est transcriptores codicum Aron. et *de Advoc.*, si ante oculos ambo verba habuissent *merito multo*, non hunc verbum *merito*, *multo* illum recidisse.

(2) *Sursum* convenienter additur : sed neque in Aronensi aut in codice *de Advocatis*, neque in italica conversione anni 1645 invenitur. *Interna Consolatio* et Marillacus hoc *sursum* habent.

(3) Hæc vox *subito* eo inutilior videtur quod locus laudatus (*Psalm. CXLIII*, 5) solum hæc habet : « *Dies ejus sicut umbra prætereunt.* » In cod. *de Advoc.* legimus *cito* pro *subito;* hoc adverbium jure Valartius recidit.

(4) Vox *solus* neque in Aronensi neque in cod. *de Advocatis*, neque in italica illa conversione anni 1645 legitur, quæ in initio Kempistam præfationem Prosperi Faraudi continet, et fontem habuisse videtur romanam editionem anni 1627 (Cf. Barbier, *Dissert. sur 60 trad. franç. de l'Imitation*, p. 156). Marillacus hoc verbum habet ; in *Interna Consolatione* res in dubio est.

(5) Hæc verba *tam... et devotum* transferunt ad christianam vitam generatim id quod ad monasticam privatim pertinebat. Postea magis ac magis hanc viam secuti sunt, præsertim interpretes, quæ non primi auctoris fuit. Jam Marillacus hoc verbum *tam* habet, sed nondum *et devotum*, et vertit : « *Je n'ay jamais* « *trouvé personne si religieux.* » Brigno priorem sensum servavit : « *Je n'ai jamais* « *vu de religieux si parfait qui ne tombast...* » Utrumque sensum habet *Interna Consolatio*.

(6) Nullus interpres hoc verbum *semper* in conversionem induxit.

II, x, 4. — Aron. : « *Deum laudari cupiunt et in id ipsum « tendunt.* »

K. : « *Deum laudari cupiunt et* semper *in id...* » (1).

II, xi, 2. — Aron. : « *Jesum in tribulatione atque angustia « diligunt.* »

K. : « *Jesum in* omni *tribulatione...* » (2).

III, vi, 7. — Aron. : « . . *et prœcave a vana complacentia.* »

K. : « *Et* multum *prœcave a vana complacentia* » (3).

III, vii, 2, § 4. — Aron. : « *Idcirco gratiam perdiderunt...* »

K. : « *Idcirco gratiam* cito *perdiderunt* » (4).

III, xiii, 1, § 6. — Aron. : « *Oportet* enim *verum te assumere « tui ipsius contemptum.* »

K. : « *Oportet* omnino *verum...* » (5).

III, xx, 4, *extr.* — Aron. : « *Miseriœ sequentes ea odium « pariunt.* »

K. : « *Miseriœ* juste *sequentes ea...* » (6).

III, xxi, 2, § 2. — Aron. : « *Tu..., in quo omnia bona simul « perfecte sunt, fuerunt et erunt.* »

K. : « ..... *simul et perfecte sunt,* et semper *fuerunt et « erunt* » (7).

(1) Neque est in Aronensi hoc *semper*, quod invenitur tamen in codice *de Advocatis*, in *Interna Consolatione*, et in ceteris textibus aut translationibus. Hoc solus Marillacus non habet.

(2) In cod. *de Advocatis* non est hoc *omni*, neque apud Marillacum, qui ita interpretatus est : « .... *le bénissent en la tribulation et en l'angoisse de leur cœur.* » In translatione italica anni 1645 hoc tantum legimus : « .... *nelle loro tribulationi « et angoscie,* » et apud Choisy : « .... *le bénissent dans les tribulations, dans les « peines du cœur.* »

(3) Neque apud Marillacum, neque apud Choisy *multum* invenias, quod habent et cod. *de Advoc.* et *Interna Consolatio*. Aliquid legas quod idem valet in translatione italica (1645) : « .... *diligentemente.* »

(4) « *Ils ont perdu la grâce,* » inquit Marillacus. Idem est in *Interna Consolatione* et apud Choisy. Cod. *de Advoc.* habet *cito,* translatio italica *presto.* In ceteris quoque hoc verbum est.

(5) Verisimiliter genuina lectio est *omnino;* sed, puto, veteres quidam transcriptores legerunt *enim*, quod in cod. *de Advoc.* transcriptum est, et in Aronensi, et quod agnoscitur in illo *car* Marillaci, in *percio bisogna* translationis italicæ, et in verbo *car* apud Choisy.

(6) Neque in cod. *de Advoc.*, neque apud Marillacum, neque apud Choisy et Brignonem *juste* est ; est autem in *Interna Consolatione* et apud Faraudi.

(7) *Semper* neque in cod. *de Advoc.* est, neque apud Faraudi. *Interna Consolatio* et Marillacus hoc verbum habent.

III, xxiv, 1. — Aron. : « *Quid ad te utrum ille sit talis vel* « *talis, aut iste sic agit vel loquitur ?* »

K. : « .... *aut iste sic* et sic *agit vel loquitur ?* » (1).

III, xxx, 3, § 6. — Aron. : « *Quando tu æstimas totum perditum...* »

K. : « *Quando tu æstimas* pæne *totum perditum* » (2).

III, xxxi, iv. — Aron. : « *Quum ergo affectus noster perditus* « *sit...* »

K. : « .... *affectus noster* multum *perditus sit...* » (3).

III, xxxii, 4. — Aron. : « *Nam vilis et parva videtur vera* « *cœlestis sapientia.* »

K. : « *Nam* valde *vilis et parva...* » (4).

III, xxxiv, 2, § 5. — Aron. : « *Et quidquid invenitur in creaturis totum ad laudem referunt sui conditoris.* »

K. : « *Et quidquid* boni *invenitur...* » (5).

III, xxxv, 3. — Aron. : « *Sancti mei non habuerunt tales, sed* « *multas gravitates.* »

K. : « .... *non* semper *habuerunt tales, sed...* » (6).

(1) Hic quoque cod. *de Advoc.* cum Aronensi consonat : res in dubio in variis conversionibus relinquitur. Marillacus tamen videtur vertisse illud *sic et sic* — *Interna Consolatio*, translatio italica, Choisy, Brigno non videntur habuisse *sic et sic*.

(2) Marillacus habet hoc *presque*, et sic legitur in translatione italica : « .... *che quasi il tutto sia perduta ;* » sed in *Interna Consolatione :* « *Quand tu* « *cuides avoir tout perdu, aucunes fois est temps que tu gaignes plus ;* » et apud Choisy : « *Quand vous vous estimez absolument perdu.* » Hæc ultima conversio sic interpretem legisse ostendit : « *Quando te æstimas totum perditum,* » quem quidem textum reapse in codice *de Advoc.* invenimus. Neque Valartius (cap. xxii, 5, *extr.*), habet hoc *pæne*. Vera verba sunt, ut arbitror : « *Quando tu æstimas totum perditum, tunc sæpe majus merendi instat lucrum.* » *Interna Consolatio* sola et Brigno hunc locum bene verterunt. Brigno ita : « *Quand il vous semble que tout est* « *perdu, c'est alors qu'il y a le plus à gagner pour vous.* » *Majus* cum voce *lucrum* conjungitur, non cum voce *merendi.*

(3) Hoc inutile *multum* ante Thomæ Kempisii tempus in textum irrepsisse videtur ; jam enim *Interna Consolatio* habet *moult corrompu ;* Marillacus, *fort corrompue.* Hanc vocem habent neque cod. *de Advoc.*, neque Aronensis.

(4) Neque Saci, neque ipse Gonnelieu verterunt hoc *valde,* quod neque in codice *de Advoc.* invenimus.

(5) Marillacus : « .... *et rapportent à la louange de leur créateur tout ce qui se* « *trouve ès créatures ;* » Faraudi : « .... *ciò che si trova nelle creature ;* » Choisy : « .... *tout ce qu'ils trouvent dans les créatures.* » Neque in cod. *de Advoc.* hoc *boni* est.

(6) Iidem auctores atque interpretes non habent hoc *semper.*

III, XXXIX, 3. — Aron. : « *Sæpe homo rem aliquam agitat* « *quam desiderat.* »

K. : « ... *rem aliquam* vehementer *agitat...* » (1).

III, XLIII, 2. — Aron. : « *Cum multa cognoveris, ad unum* « *oportet* venire *principium.* »

K. : « ... *ad unum* semper *oportet* redire *principium* » (2).

III, LII, 4. — Aron. : « *Unguentum quod pedibus tuis infundi* « *voluisti...* »

K. : « ... *quod* sacris *pedibus tuis infundi voluisti...* » (3).

IV, IX, 5. — Aron. : « *Offero omnia desideria devotorum.* »

K. : « *Offero omnia* pia *desideria...* » (4).

IV, XV, 1. — Aron. : « *Debes non dejici, non inordinate con-* « *tristari.* »

K. : « *Debes non* nimium *dejici, non...* » (5).

IV, XVIII, 3. — Aron. : « *Non est hoc ipsis imputandum, sed* « *inimico.* »

K. : « ... *sed* potius *inimico* » (6).

Fit quoque aliquando ut non addatur vox aliqua, sed adverbium aut adjectivum nomen gradu aut majore aut minore usurpetur. Sic : II, XII, 8, *fructum maximum* pro *fructum magnum* ; II, VII, 3, *sæpius* pro *sæpe* ; III, XXI, 2, *optimus* pro *bonus* ;

(1) Cod. *de Advoc.* cum Aronensi congruit. Inter interpretes, soli Faraudi et Choisy non habent hoc *vehementer*.

(2) Hæc scriptura codicis Aronensis, quæ eadem est atque textus codicis *de Advoc.*, invenitur quoque apud Faraudi : « *Si bisogna nondimeno venire ad un principio* ». — *Interna Consolatio* non habet *semper* : « *Si fault-il que tu retournes à ung commencement.* » Ceteri hoc *semper* habent.

(3) Cod. *de Advoc.* habet quoque *sacris* : ex quo indicio et pluribus aliis conjicio hunc codicem, quamvis perantiquum, quum ante annum 1349 scriptum eum esse affirmetur, exaratum esse ex exemplari minus vicino textui primigenio quam illud exemplar fuit e quo transcriptus est Aronensis. Nam genuina lectio esse debuit, nullo adjecto nomine : « *pedibus* », non aliter atque lib. IV, XI, § 2. Neque hanc vocem *sacris* habuit textus quo Marillacus utebatur.

(4) Cum codice Aronensi congruit codex *de Advoc.*, neque habet vocem *pia*.

(5) Hæc γλῶσσα *nimium* una est ex illis quæ mature in transcriptiones irrepere debuerunt ; nam in cod. *de Advoc.* invenitur.

(6) Hæc quoque γλῶσσα eadem de causa antiqua est : attamen neque apud Marillacum, neque apud Choisy et Brignonem apparet.

et e contra : III, II, 2, *pulchriter* pro *pulcherrime* (1) ; III, XXX, 5, *bonum* pro *optimum* (2).

Aliæ lectiones, quarum quoque pleræque codicibus *de Advocatis* et Aronensi communes sunt, genuinam scripturam, ut mihi videtur, melius referunt.

Sic : I, XV, 1. — Aron. : « *Magis siquidem Deus pensat ex* « *quanto quis agit quam quantum quis facit.* » Kempisius autem : « ... *quam opus quod facit.* » Prior lectio mihi videtur et habere quoddam concinnius, et magis congruere cum illo loco libri III, XXXI, 5 : « *Quantum quis fecerit quæritur ; sed ex quanta virtute agit, non tam studiose pensatur* » (3).

I, XVII, 1 : « ... *exulem peregrinum,* » quod A Kempis habet, manifesto est pro *exulem et peregrinum,* quod in codicibus Aronensi et *de Advoc.* legitur et receptum fuit ab *Interna Consolatione*, Marillaco, Luparensi editione, Gonnelieu, etc... A Kempis, quum transcriberet, connexivam particulam *et*, puto, oblitus est.

I, XX, 1, *extr.* : « *Maximi Sanctorum humana consortia, ubi*

(1) Translatio Marillaci tantum habet *magnum, sæpe, bonus;* recepit autem *pulcherrime;* quod quidem verbum non solum in Aronensi codice et in cod. *de Advoc.*, sed etiam in Kempisia editione Sommalii legitur, quum contra Lambineti Kempisia editio (1810) et jam Rosweydina (1618) habeant *pulchriter,* quæ vox est Richelianæ vulgariumque editionum, non secus ac Kempisiæ Berolinensis (Hirsche, 1874). Ut mea fert opinio, primigenia lectio fuit *pulcherrime,* quod legimus quoque apud Faraudi, Brignonem, Valartíum, et recepere Lamennais, Dassantius, Darboy.

(2) Lectio *optimum,* quam habent codices Aronensis et *de Advoc.* melius respondet loco Scripturarum : « *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est* » (Jac., I, XVII), quæ sic vertit Lemaistre de Saci : « *Toute grâce* « *excellente et tout don parfait vient d'en haut.* » Notandum vero est textum græcum B. Jacobi esse : « πᾶσα δόσις ἀγαθή », cui vix quadrat illud B. Hieronymi : « *Omne datum optimum* ». Ceterum *Interna Consolatio* et Marillacus jam *bonum* habent.

(3) Textum *quantum quis facit* habent, præter codices Aronensem et *de Advocatis,* Faraudi, Marillacus, Richeliana editio, Valartius, et aliquot vulgares editiones ; obscura in hac re est *Interna Consolatio.* Ceteræ editiones aut translationes lectionem sequuntur *opus quod facit,* quæ et in Kempisia Berolinensi editione invenitur, et in Kempisia anni 1756, et in editione a Lambineto parata. Attamen duas in manu scriptis cod. fuisse lectiones perspicue apparet ; nempe Kempisia editio Sommalii, parata anno 1607, habet : « *Quam quantum seu opus quod facit.* » Sic ipse Sommalius argumentum præbet et quodam modo confitetur alios codices fuisse ac Kempensem.

poterant, vitabant, et Deo in secreto servire eligebant. » Pro *servire*, Codices Aronensis et de Advocatis habent *vivere*, quam lectionem secuti sunt *Interna Consolatio*, Marillacus, editio Luparensis, Faraudi, Valartius, Choisy, Lamennais, Dassantius, Darboy. — Marillacus vertit : « ... *et aimoient mieux vivre à Dieu en secret ;* » Darboy : « ... *et préféraient vivre seuls avec* « *Dieu.* » Attamen *servire* secuti sunt Gonnelieu, Bauzæus, Lambinetus et alii ; sed lectio *vivere* confirmatur et assensu plerorumque interpretum, et hoc loco (II, XII, 14, § 1) : « *Quanto quisque* « *plus sibi moritur, tanto magis Deo vivere incipit.* » Animadversum est in hunc etiam locum duas lectiones Sommalium inseruisse ; nam habet : « *Deo in secreto vivere et servire eligebant.* » Sed A Kempis ipse (edit. Hirsche) unice habet *servire*.

I, XXIV, 3, § 3 : « *Ibi acediosi ardentibus stimulis perurge-* « *buntur.* » Eam lectionem secutus est Marillacus, quæ invenitur in editionibus Kempisianis Rosweydina (1618), anonyma (1756) (1), Lambinetina (1810), et apud Cl. V. Darboy, qui vertit : « *Là les* « *paresseux seront pressés d'aiguillons brûlants.* » *Perurgentur* legitur in Aronensi et *de Advoc.* codicibus et apud A Kempis ipsum (Hirsche), sicut et apud Sommalium, et in Luparensi editione et aliquot communibus editionibus. « *Pungentur* » a Gonnelieu, Choisy, Brignone ceterisque interpretibus datur. Translatio italica (1645) vertit : « *Ivi acediosi sarano trafilti d'ardenti stimoli.* » *Interna* autem *Consolatio* videtur, ut solet, una utramque lectionem conjungere *perurgebuntur*, *pungentur*, et vertit : « *Là les paresseux seront aguillonnez et percez de* « *aguillons ardans.* » Quum contextus futurum tempus expostulet, conjectare est veram lectionem fuisse *pungentur*, pro quo transcriptores quidam legerunt *perurgentur ;* unde necessitate quadam, ut tempus futurum hic poneretur, scriptum est *perurgebuntur*.

II, XII, 10, *extr.* : « *Pone te ad futuram gloriam promerен-* « *dam.* » Codices Aronensis et *de Advoc.* habent : « *Ad futuram* « *gloriam* quæ revelabitur in nobis *promerendam* », quæ ipsa verba sunt B. Pauli (*Rom.*, VIII, 18). Marillacus et Faraudi habent

(1) Hæc anonyma editio, ad quam sæpius recurro, pondus quoddam habet, quia, ut fert præfatio, maxime cum antiquissima editione anni 1485 collata est. Excusa fuit Parisiis, apud Hipp.-Lud. Guérin, in-18.

quoque integrum Pauli locum, quem textus Kempisius decurtavit.

III, XLIX, 7. — Legitur apud A Kempis (III, XLIX, 7) : « ... *sive prælatus, sive junior, sive æqualis* », quibus in verbis una permiscentur virorum et dignitas et ætas ; malo in codicibus Aronensi et *de Advocatis* : « ... *sive prælatus, sive minor, sive* « *æqualis* » (1).

III, LII, 2. — In Kempisiis editionibus a Sommalio (1607), Richelio, Amort, Lambineto, Hirsche, etc., paratis legimus (III, LII, 2) : « *Nec decet me inter tuos devotos commemorari.* » Hæc vox *commemorari* denuntiat quamdam quasi famæ curam, quæ in viris vere devotis esse non debet, nec fuit sane in illo humili Imitationis auctore. Præstabilius in codicibus Aronensi et *de Advoc.* mihi videtur esse *commorari*, quod, in mentem monasticam vitam revocans, peculiariter a Sancto Hieronymo, sensu *demeurer*, *habiter* (Vide *Gloss.* Quicherat) usurpatum est (2).

IV, XVII, 2, § 2. — Illa transcriptorum hæsitatio, quam jam animadvertimus et in verbo *commorari* et in aliis locis, apparet quoque in libro quarto, XVII, 2, § 2, ubi alii codices habent *fervore*, alii *favore* : « *Sed et quæcumque potest pia mens concipere et* « *desiderare, hæc omnia tibi, cum summa veneratione et intimo* « *favore, præbeo et affero.* » Hæc vox *favore* nullo modo in hoc loco intelligi potest ; ideo omnes interpretes, et codices Aronensis et *de Advoc.* pluresque vulgares editiones receperunt *fervore*, licet A Kempis *favore* elegerit. Luparensis etiam editio, quæ, exceptis pauculis locis, omnino Kempisia est, habet ipsa *favore*.

(1) Manifestum est verum textum esse *minor*, pro quo librarius aliquis sine dubio legit *iunior*, qui textus in transcriptiones propagatus est, quas secuti sunt A Kempis, Marillacus, Richeliana editio, anonymus auctor (1756), et alii ; sed hoc *junior* non habent *Interna Consolatio*, Faraudi, Choisy, Brigno, Valartius et nonnullæ vulgares editiones ; neque id receperunt interpretes Bauzæus, Lamennais, Dassantius, Darboy. Mirum est Thomam a Kempis sic in ipso suo (si creditur) textu erravisse.

(2) Auctor *Internæ Consolationis* videtur ante oculos habuisse utramque lectionem, quum sic vertat : « *Que je soye nombré ou demourant avec...* » ; sed Marillacus habet tantum *commorari* : « *... et ne m'appartient pas de demeurer parmi* « *ceux qui vous ont dévotion* », et translatio italica (1645) : « *... et non si conviene* « *a me lo stare con i tuoi divoti.* » Hic quoque etiam inter duas lectiones ab antiquis codicibus traditas Thomas a Kempis minus bonam elegit.

Quod si autem Aronensis codex in hisce locis præferendus est, non desunt tamen loci in quibus Kempisius textus prævalet.

I, xvi, 3 : « *Sic patet quam raro proximum sicut nos ipsos pensamus.* » Aron. : « *amamus.* » Verbum *pensamus* multo magis cum iis quæ consociantur sententiis congruit.

I, xxi, 2, § 3 : « *Felix qui abjicere potest omne impedimentum* « *distractionis et ad unionem se recolligere sanctæ compunc-* « *tionis.* » Aronensis habet *se reducere*, quæ lectio invenitur quoque in *Interna Consolatione* : « ... *se reduyre à union de* « *cueur et saincte compunction* » et in translatione italica (1645) : « ... *si ridurre...* » ; sed lectio *se recolligere* est apud Marillacum, « *se recueillir* », et apud ceteros, meliusque ad verbum *distractionis* respondet.

I, xxiii, 1, *extr.* : « *Pauci ex infirmitate meliorantur.* » Aron. : « *emendantur.* » *Meliorantur* melius cum stylo Imitationis convenit (Cf. III, xxvii, 3 : « *Permutare te potes, sed non* « *meliorare* » (1).

II, xi, *extr.* : « *Nemo tamen isto ditior, nemo potentior,* « *nemo liberior, qui se et omnia relinquere scit.* » Aron. : « *Nemo isto ditior,... nemo tam liberior, nemo potentior, qui se scit et omnia relinquere.* » In hoc *tam liberior,* quæ verba intelligi non possunt, *tam*, sine dubio, e præcedenti *tamen* defluxit. Mirum est vero quod mendo eodem codex *de Advocatis* inquinetur, etsi dissimiles inter se ii codices sæpe inveniantur.

II, xii, 4 : « *Converte te supra, converte te infra, converte te* « *extra, converte te intra...* » Aron. : « ..., *converte te extra et* « *intra...* » (2).

(1) Attamen lectionem *emendantur* secuti sunt codices Aronensis et *de Advocatis,* Marillacus, Gonnelieu, Choisy, Valartius ; lectionem *meliorantur* ceteri adoptavere. Utramque lectionem exstitisse denuntiat *Interna Consolatio :* « *Peu* « *il y a de gens qui s'amendent ou qui vaillent mieulx en maladie.* »

(2) Omnibus interpretibus, excepto Bauzæo, quasi in studio fuit hanc vividam repetitionem enervare, aut reductis quatuor his *converte* sive ad tria (cod. Aron. et *de Adv.*), sive ad duo (Faraudi), sive ad unum (Marill., *Intern. Consol.*, Bellegarde, Choisy), aut mutato ac variato verbo (Gonnelieu, Lamennais, Dassantius, Darboy). Lamennais sic vertit : « *Élevez vous, abaissez vous, sortez de vous-* « *même, rentrez-y : toujours vous trouverez la Croix.* » Quinetiam Brigno omnino verbum erasit : « *Dessus ou dessous, dehors ou dedans, partout vous rencontrerez* « *la Croix.* »

III, II, 1 : « *Domine Deus, inspirator et illuminator* (Aron. : *illustrator*) *omnium Prophetarum* » (1).

III, IV, 3 : « *Cogita peccata tua cum displicentia et mœrore.* » Aron. et *de Advoc. memorare* pro *mœrore* male habent.

III, V, 5 : « (*Amor*) *sicut vivax flamma aut ardens facula...* » Aron. et *de Advoc. :* « ... *ardens favilla.* »

III, IX, 2, *extr.*. — Male textum Kempisium Lambinetus et alii mutaverunt in hoc loco : « *Ego totum dedi, ego totum te* « *habere volo* », ubi Thomas a Kempis, cum codicibus Aronensi et *de Advocatis* faciens, scripserat « ..., *ego totum rehabere volo* » (2).

III, X, 5 : « *Habebunt gratiam magnam qui sponte se subje-* « *cerint tuæ sanctissimæ servituti. Invenient suavissimam* « *Spiritus Sancti consolationem, qui pro amore tuo omnem* « *carnalem abjecerint delectationem. Consequentur magnam* « *mentis libertatem, qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur* « *viam et omnem mundanam neglexerint curam.* » In codicibus Aronensi et *de Advoc.* omissa sunt hæc verba : « ... *qui pro amore* « *tuo omnem carnalem abjecerint delectationem* », quibus fit quadrata, et, ut ita dicam, SYMMETROS compositio, ut solet in Imitatione, et quæ in omnibus sive editionibus, sive conversionibus invenias. At quamvis ita omnes consentiunt, subit tamen animum hæsitatio aliqua, quum dubitem Imitationis auctori, semper adeo verecundo et prudenti, hoc *carnalem delectationem* attribuere, qui solus foret toto in opere locus quo scriptor a

(1) Hunc quoque locum libens crediderim documento esse quanta difficultate Aronensis codicis transcriptor exemplar suum legeret. Cod. *de Advoc.* habet *illuminator.*

(2) Vera profecto scriptura est *rehabere*, quam reipsa invenimus in Kempisia Berolinensi editione et in Sommaliana, ut in codicibus Aronensi et *de Advoc.* Qui quidem barbarismus, audax sane, sed nullo modo latinæ linguæ inclinationi ingenitæ repugnans, est, ut patet, lectio primigenia, quamvis Luparensis editio receperit tantum *habere*, aliique, anonymus auctor (1756), Lambinetus, et nonnullæ communes editiones *rehabere* mutaverint in *te habere.* — *Interna Consolatio*, Marillacus, Faraudi, Gonnelieu, Choisy, Valartius, Bauzæus, Darboy, receperunt *rehabere.* Lamennais et Dassantius Luparensem editionem secuti sunt : « *totum habere.* » Brigno et Bellegarde (1698) acceperunt *totum te habere*, quæ lectio omnium est vitiosissima.

constanti illa castitate et quasi pudicitia sermonis deflecteret: quod profecto sensisse mihi Sommalius videtur, qui, amoto verbo *delectationem*, sic *carnalem* cum præcedente nomine *consolationem* conjungit. Quinetiam animadvertendum forte est hoc *omnem carnalem abjecerint delectationem* perperam anticipare illud quod sequitur : « *omnem mundanam abjecerint curam.* » Hanc meam dubitationem ad doctissimos meos judices defero.

III, xxiii, 9 : « *Perfunde cor meum rore* (Aron. : *gratia*) *cœlesti ; ministra devotionis aquas* ».

III, xxv, 5, § 3 : « *Si... nec te justificaveris quasi hæc tantaque pati non deberes, sed me in omnibus dispositionibus justificaveris et sanctum laudaveris, tunc in vera et recta via pacis ambulas* ». In Aronensi et cod. *de Advoc.* recisa sunt hæc : « *quasi hæc tantaque pati non deberes, sed me in omnibus justificaveris* », ita ut legatur : « ... *nec te justificaveris et sanctum laudaveris...* » Recisa autem sunt ea forsan errore quodam transcriptoris, qui error admissus est propter repetitum verbum *justificaveris* (1).

III, xxvii, 4 : « *Da virtutem corroborari in interiori homine, et cor meum ab omni inutili sollicitudine et angore* (Aron. : *languore*) *evacuare* ». Cod. *de Advoc.* et ceteri habent *angore.*

III, liii, 1 : « *Totum mundum nihil æstima, Dei vacationem* (Aron. : *vocationem*) *omnibus exterioribus antepone ; non enim poteris mihi vacare...* »

III, liii, 1, *extr.* — Erant quoque duæ lectiones in III, liii, 1. *extr.*, quo in loco textus Kempisius anni 1441 habet : « *Sic obsecrat beatus apostolus Petrus, ut tanquam advenas et peregrinos in hoc mundo se contineant Christi fideles.* » — Aronensis autem codex : « .... *ut tanquam advenæ et peregrini in hoc*

(1) Textus Aronensis et cod. *de Advoc.*, omnino cum translatione Marillaci congruunt : « *Si vous estes si fort et si persévérant en l'espérance, qu'estant privé de la* « *consolation intérieure, vous prépariez votre cœur à supporter encores de plus* « *grandes peines sans vous justifier ny vous en estimer plus sainct, vous cheminés en* « *la vraye et droitte voye de la paix* ». *Interna Consolatio* utrumque textum, ut solet, coagmentat.

mundo se contineant Christi fideles a carnalibus desideriis quæ militant adversus animam ». Hæc sacri textus ultima pars (Cf. I, Petr., II, ii) nulla connexione conjuncta est cum iis quæ præcedunt : « *A notis et a caris oportet elongari et ab omni temporali solatio mentem tenere privatam* » ; et quamvis *Interna Consolatio* et Marillacus hunc textum acceperint, credo Thomam Kempensem hic merito hanc portiunculam amovisse, quam neque codex *de Advocatis* habet.

IV, iv, 2 : « *Tentationes vincuntur* aut (Aron. : *et*) *minuuntur* » (1).

His exemplis adjici possent multa alia e quibus liquet Kempisiam transcriptionem accuratiorem esse quam codices Aronensem *et de Advocatis*, et in universum æstimanti correctiorem.

Si quis autem quærat quoties inter se differant Kempisia transcriptio et Aronensis, qualem evulgavit Cl. V. Puyol, plus quam mille discrimina inveniet. Præterea sunt in Aronensi multæ ingeminatæ dictiones, quæ, a docto editore in appendicem non immerito relegatæ, monstrant tamen quam fuerint ancipites illi veteres librarii ad eligendum inter varias codicum lectiones.

Exemplo sint :

I, iv, 1 « ... *labilem sive bibilem* » (K. : *labilem*) (2).

I, v, 2, § 3 : « ... *si vis perfectum sive profectum haurire* » (K. : *Si vis profectum haurire*) (3).

I, xv, 2, § 2 : « *Multum sive bene facit* » (K. : *bene facit*) (4).

(1) Lectio *aut*, quam secutus est A Kempis, manifesto potior est, quamvis cod. *de Advoc.*, habeat quoque *ac*, et italica translatio (1645) sic vertat : « *Si vincono et sminuiscono le tentationi* ». Aliunde vestigium lectionis *et* agnoscitur quoque apud Marillacum, Choisy, Bauzæum, et in editione Valarti.

(2) Hæc duplicatio quoddam insolens habet, ut si indecoro joco lusisset bibulus ipse monachus transcriptor. Agnoscitur tamen apud Marillacum lectionis duplicis vestigium « ... *léger à parler et foible à s'en garder* ». Cui autem latino verbo respondeat locutio *foible* à *s'en garder* nescimus : non sane verbo *bibilem*. Hic forsan codex Aronensis male lectus est.

(3) Similiter duplex lectio est apud Marillacum : « *Si vous voulez en tirer du profit et de la perfection.* »

(4) Marillacus habet : « *Celuy-là fait beaucoup ou fait bien.* »

XVII, 2 : « *Habitus et tonsura modicum faciunt seu conferunt* » (K. : *modicum conferunt* (1).

III, III, 4 : « ... *nonnunquam fraudantur seu frustrantur.* » (K. : *frustrantur*).

III, X, 1, § 3 : « ... *largiris timentibus te seu amantibus te* » (K. : ... *largiris amantibus te*) (2).

III, XXVI, 2, § 2 : « ... *Ambit mundus sive mundana vanitas* » (K. : *ambit mundana vanitas*) (3).

III, XLII, *in titulo :* « ... *ponenda sive petenda* » (K. : *ponenda* (4).

III, XLV, 3 : « ... *timor mundanus sive humanus...* » (K... *timor humanus*) (5).

III, L, 7 : « *Da mihi, Domine, hoc reputare quod tibi pretiosum est vel apparet* » (K. : ... *pretiosum apparet*) (6).

(1) Scriptor codicis Aronensis videtur ante oculos habuisse codices duos, quorum habebat alter *faciunt,* alter *conferunt.* Verus Kempisius codex (edit. Hirsche) habet *confert,* quod verbum, quamvis minus perfecte cum grammatica ratione recte loquendi congruat, aliquid habet acrius ac vividius. Ceterum *habitus et tonsura* haberi possunt tanquam unum verbum in duas partes divisum : hæc lectio genuina esse debet. Attamen nullus interpres referre ausus est hanc quasi syllepsin, ne *Interna* quidem *Consolatio*, in qua legimus : « *L'abit et la couronne ne font pas le moyne* ». Malim *ne faict pas.*

(2) Marillacus fert etiam tum vestigia duplicis lectionis, sed in phrasi præcedente in qua pro his verbis : « *sed quid es amantibus ?* » dicit : « *Mais quel estes vous à ceux qui vous craignent ou qui vous aiment ?* »

(3) Marillacus habet : « *Je ne dis pas de ces choses que le monde ou la vanité* « *mondaine poursuit de son affection* » ; et Choisy : « *Je ne parle point de ces choses* « *que le monde et la vanité cherchent avec tant d'empressement* ». Ceteri sive codices (codex etiam *de Advocatis*), sive interpretes (etiam *Interna Consolatio*) habent tantum lectionem *mundana vanitas.* Facile autem adducar ut credam veram lectionem esse simpliciter *mundus,* et hæc verba *sive mundana vanitas* esse quasi interpretationem vel, ut dicunt, γλῶσσαν, aliunde antiquissimam, quæ in textum irrepsit, et quam pro vero textu T. a Kempis transcripserit.

(4) Marillacus : « *Qu'il ne faut pas mettre ny chercher sa paix es hommes.* »

(5) Apud Marillacum : « ... *la crainte du monde et des hommes.*

(6) In *Interna Consolatione* : « *Donnez-moi, sire, ... aprecier ce qui vous est précieux* ». Apud Marillacum : « *Faites, Seigneur, ... que je face cas de ce qui est ou paroist précieux devant vous* ». Quum antiqui codices quidam sine dubio haberent, hi *est,* illi *apparet,* Aronensis codicis scriptor, quum inter duas lectiones eligere non auderet, utramque retulit, et fidelis ille Marillacus, quum usus sit, ut videtur, textu qui ex eodem fonte atque Aronensis proveniebat, hanc duplicem locutionem integre vertit. *Interna Consolatio* elegit *est,* sed Kempisius, *apparet,* quam perversam lectionem secuti sunt omnes, etiam codex *de Advocatis.*

III, LII, 3 : « ... *Confusione dignus seu plenus* » (K. : ... *confusione plenus*) (1).

III, LVII, 1, § 5 : « ... *obviat mali vel adversi* ». (K. : ... *obviat adversi*) (2).

IV, I, 1 : « *aptius sive arctius...* » (K. : *arctius...*) (3).

IV, III, 3 : « ... *exhibere vel præbere* ». (K. : *præbere*) (4).

Concludamus oportet :

1° Antuerpiensem codicem non esse archetypum exemplar, sed meram transcriptionem, quoniam ipse auctor haud subvertisset ordinem librorum, neque, invita continuatione et concatenatione totius operis, quartum librum tertio anteposuisset (5).

2° Transcriptionem esse, etsi laudabilem in multis, tamen aliquando mendosam : quod inter alia satis arguunt illa, quæ notavi, amplificantia et parasitica verba. Nam dum ornare textum gestit Thomas, diluit. Quippe si confitendum est Imitationem ipsam haud eleganti et comto latino sermone uti, neque Ciceronianum quidquam olere, nemo tamen recusabit quin tota vivida et brevitate virili insignita sit : grandis nempe usque ad sublime, bene ac feliciter concisa, verborum proprietate notanda, atque in depromendis sententiis nunquam immodica. Quid inter hæc sibi vult amplificatio Thomæ ? Quid sunt tot verba expletiva et superaddita, quibus abundat ejus textus, nisi meræ glossulæ ? Textus autem Aronensis, nec non *de Advocatis*, quum istis glossulis careant, eo ipso vetustiores Antuerpiensi recte judicaris : quam quidem sententiam confirmare mihi videtur illud quod in alterutro codice de scientia humana invenias. Nam multo severior est in hac re et intolerantior textus Kempisius quam Aronensis. Sic legitur :

I, II, 3, in Kempisio : « *Noli extolli de* ulla *arte vel scientia.* » — In Aron. : « *Noli extolli de* multa *arte vel scientia.* »

(1) Marillacus : « *Que diray-je, coulpable que je suis, digne et rempli de toute confusion ?* » Ceteri codices, ceteræ interpretationes habent tantum *plenus*.

(2) Marillacus, ut solet, non inter duas lectiones delectum habet, sed utramque conjungit : « *Vous avez assez de courage, quand rien de mauvais, ny de contraire, ne se présente à vous.* »

(3) Codex *de Advoc.* habet *aptius*.

(4) Codex *de Advoc.* duplicem quoque locutionem refert.

(5) In codice Antuerpiensi, quartus liber ante tertium scriptus est, quem Thomæ ordinem Hirsche non servavit.

Ibid., in Kemp. : « *Si vis utiliter* aliquid *scire vel discere,*
« *ama nesciri* ». — In Aron. : « *Sivis utiliter* alta *scire vel*
« *discere,.....* »

Et præsertim :

I, III, 4, in Kemp. : « *Non est culpanda scientia, aut quælibet*
« simplex *rei notitia, quæ bona est in se considerata et a Deo*
« *ordinata* ». — In Aron. : « *Non est culpanda scientia, aut*
« *quælibet rei notitia, quæ bona.....* »

Nimirum eo tempore quo vixit Thomas a Kempis, magis ac magis sentiebant devoti viri quam amaros fructus scientia jam tulerit, quasque cruces dominæ ac matri Theologiæ minaretur.

CAPUT OCTAVUM

QUÆ FUERIT OPERA THOMÆ A KEMPIS IN CONDENDA IMITATIONE

PARS ALTERA

AN THOMAS A KEMPIS IMITATIONEM COMPONERE POTUERIT

Eo puncto quæstionis quo pervenimus, vix sustineri posse videtur Imitationem esse proprium Thomæ a Kempis opus, quantolibet studio et affectu hanc causam defenderit ultimus Thomæ patronus, Reverendissimus vir J.-B. Malou, in illo diligenti ac tam sincera fide conspicuo libro, qui, primitus anno 1848 excusus, iterum editus est anno 1849 et tertio 1858. Jam anno 1855, Eminentissimus episcopus Darboy, in præmonitu suæ translationis, dicebat (p. XIV) : « *Les titres de Gerson ne sont pas* « *solides, ceux de Thomas a Kempis ne sont nullement dé-* « *montrés.* » — Anno 1856, DD. Moland et d'Héricault, in præfatione *Internæ Consolationis* (p. XI) hæc scripsere : « *Nous ne* « *croyons pas que le fameux traité latin soit l'œuvre du chan-* « *celier de Paris ; nous croyons encore moins qu'il ait été com-* « *posé par le chanoine du diocèse de Cologne.* » — Anno 1861, Tamizey de Larroque, in *Annalibus philosophiæ christianæ*

(vol. III et IV), quamvis fateatur summa arte ac solertia causam egisse R. D. Malou declararitque

« . . . . Si Pergama dextra
« Defendi possent, etiam hac defensa fuissent »

(p. XVII hujus opusculi seorsum excerpti), concludit tamen, attente comparata Imitatione cum certissimis Thomæ Kempisii operibus : « *Il est impossible désormais de maintenir le sous-« prieur du monastère de Sainte-Agnès en possession de l'hon-« neur immérité dont il a joui trop longtemps* ». (*Ibid.* p. LXXII.) — Anno 1873, Arth. Loth (*Revue des questions historiques*, mense aprili) omnia argumenta quæ pro Kempisio allata erant vehementer oppugnavit. — Anno 1876, abbas A. Ducis (*L'Auteur de l'Imitation de Jésus-Christ*, p. 8) agnoscit id quod « *les doc-« trines de Gerson et certaines préoccupations de toute sa vie* » prohibent ne credere possimus ex ejus animo exhalari potuisse « *le « parfum ascétique de l'Imitation* », additque : « *Il n'en est pas de « même de Thomas a Kempis, qui n'a laissé que des souvenirs « de sainteté : il ne lui a manqué que d'avoir vécu deux siècles « plus tôt* ». — Anno 1881, R. D. Puyol, in illo excellenti libro, *La doctrine de l'Imitation*, ita pronuntiat (p. 486) : « *De tous les « écrivains à qui on attribue le pieux livre, Thomas a Kempis « nous semble le moins capable d'en revendiquer la paternité.* »

Patiatur ergo canonici Flandrici strenuus et idem Belgius defensor, R. D. Malou, nos eum his extremis verbis alloqui : « Sat « patriæ Thomæque datum, ἀχλὺν δ'αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν eripiat vis et « multitudo argumentorum contra tuum Thomam pugnantium. »

Argumenta hæc sunt :

I. — Jam antea in auctore Imitationis vidimus omnes inesse curas atque sollicitudines quæ abbatem multos monachos ducentem ac regentem denuntiant. Insuper sese ostendit ut virum jam ætate provectum et longa rerum experientia probatum. Ex toto enim opere liquet jamdiu inter monachos versari et cum eis consenuisse virum qui scripsit (II, IX, 7) : « *Nunquam inveni aliquem « tam religiosum et devotum qui non habuerit interdum gratiæ « subtractionem aut non senserit fervoris diminutionem.* » — Imit. (I, XI, 5) : « *Sæpe sentimus ut meliores et puriores in initio*

« *conversionis nos fuisse inveniamus, quam post multos annos* « *professionis* » ; et (I, xxiii, 2) : « *Ah! longa vita non semper* « *emendat, sed sæpe culpam magis auget. Multi annos compu-* « *tant conversionis, sed sæpe parvus est fructus emendationis.* » Scilicet vidit, ut res fert, juvenes quibus, quum nova ac recens atque eo major gratia calefaceret, magnus fervor primis professionis temporibus fuit; postquam vero tempore gratia consenuerat, et minus eos incendebat, tum pauca ac pæne obliterata pristini fervoris vestigia supererant : quem profecto teporem auctor Imitationis, magis alieno exemplo, ut arbitror, quam suo edoctus, notat ac deplorat.

Idem vir, scientia non minus quum fide præclarus, de difficillimis theologiæ quæstionibus, scilicet *de fide cum ratione collata, de supernaturalibus cum naturalibus comparatis,* sapienter et enucleate ac simul simplicissimo sermone disserit, ita theologiæ peritus ut illam vel ignaris, remoto omni argumentorum sonitu, intelligendam præbeat (1). Neque tamen horum argumentorum ignarus fuit; imo disputationis scholasticæ strepitum sæpius audivisse illum apparet, quum ea verba scripserit de Deo, quæ de semet ipse fere potuisset (III, xliii, 3) : « *Ego doceo sine strepitu* « *verborum, sine confusione opinionum, sine fastu honoris,* « *sine pugnatione argumentorum.* »

Quum autem auctor Imitationis vir fuerit tot professionis annis probatus, hac ætate provectus, hac doctrina excultus, num poterit Thomas a Kempis esse libri aurei auctor, quum prope constet illum librum jam notum vulgatumque fuisse anno 1406 : quo anno Thomas, vix sex et viginti annos natus, non modo non prælatus erat nec monasterio præpositus, sed ne religionem quidem etiam tum professus erat, ita ut, etiamsi ante hunc annum illi ea pietas, eæ dotes variæ fuissent quibus Imitationem scribere potuisset, senioribus monachis eum præcepta dare non decuisset. Si quis tamen hoc argumentum impugnet utpote codice manu scripto nisum cujus haud plane certa, quamvis probabilis, ætas sit, idem ex eo colligitur quod Thomæ a Kempis defensores affirmant anno 1410, aut saltem anno 1414 (Cf. Malou, *Recherches*,

(1) Divinarum rerum auctorem Imitationis fuisse peritissimum fusius demonstravit R. D. Puyol : *La doctrine de l'Imitation.*

p. 210), ab eo librum pium fuisse compositum. Hoc porro anno 1410. Thomas novem et viginti annos natus erat nec fuit ad sacerdotale officium cooptatus ante annum 1414 (Malou, *op. l.*, p. 2). An in his conditionibus tantum opus conficere potuerit? An ratione aliqua contenditur illum expressisse in Imitatione succum et medullam ceterorum quæ elucubraverat operum (Malou, *op. l.*, p. 218) quum cuncta ejus opera sint posteriora?

II. — Opera hinc Kempisia atque illinc Imitatio inter se magis differunt quam ut auctor unus et idem utraque scribere potuerit.

A. — In Imitatione enim, ut jam animadvertimus, sanctissima Virgo Deipara bis tantum et quasi transeundo innuitur (IV, II, *extr.*, et XVII, 2); in Kempisiis libris amplius sexcenties laudatur.

B. — Imitatio perquam sobria est in iis locis in quibus Diabolum infernumque attingit. Thomas a Kempis vero Diabolum effingit « *cum vultu teterrimo atque hiatu furioso* » ostenditque in inferno « *ollam succensam, pice plenam, sulphure fœtentem.* » « *Attende, inquit, leones frementes, canes mordentes, serpentes* « *sævientes, busones corrodentes, dracones glutientes* » (*Serm. ad Novit.*, VI, 2 et 3).

C. — Non idem sentiunt Thomas et Imitatio de claustralis disciplinæ severitate et inter fratres monachos commercio.

Imit., I, XVI, 2 : « *Si quis semel aut bis admonitus non acquiescit, noli cum eo contendere : sed totum Deo committe, ut fiat voluntas ejus.* » — Thomas, *de Disciplina claustrali*, I, 4 : « *Si videris quempiam negligenter agentem, corripe illum* « *ut fratrem et trahe ad emendationem.* » — *Ibid.*, 5 : « *Talis* « (scilicet indisciplinatus) *sæpe est admonendus et increpandus,* « *ut suas dissolutiones dimittat et ad devota exercitia se con-* « *vertat.* »

Ad hoc etiam revertit illa apud eum tam frequens baculi mentio, nunc ad percutiendum, nunc ad sustinendum usitati. *Solil. anim.*, III, 2 : « *Ubi stimulus et baculus?* » — *Ibid.*, XI, 5 : « *Manus* « *ægro data est; vacillanti baculus venit.* » — *Ibid.*, XVII, 4 : « *Mittam tibi baculum meum ut surgas.* » — *Hort. ros.*, XVI, 1 : « *Baculo timoris feriens revocat.* » — *Vall. lil.*, XI, 2 : « *Time* « *virgam Dei, time baculum* » ; *et passim.*

D. — Nullus fere liber est in quo minus quam in Imitatione per-

sona scribentis sese detegat : qua sancta humilitate tam ardua facta est investigatio de vero libri auctore (1).

At noster Thomas præfationes et prologos conficit, ubi sese modestiæ paludamento, ut mos est, involvit. Sic in initio *Sermonum ad Novitios* : « *Sermones quos... pro novitiis nostris in unum « collegi vobis in caritate communicare pium censui..., et quod « Dominus inspiravit et dedit, libenter piis et devotis offero ad « legendum. Quod si forte indiscretus sermo quempiam offen- « derit, peto ut venia concedatur.* » — Item in *Soliloquio* : « *Rogo « ergo nemo legentium indignans moveatur super scribentis « manum, quia sibi taliter confabulari placuit. Ignoscat quoque « incompositioni et facilitati dictaminis, pensans quod Deo non « artificiosa, sed simplicia et pura magis redolent.* » — Alii quoque ejus tractatus fere omnes prologis similibus ornantur, ubi bonus Thomas modestiam magis ostentat quam demonstrat, « Et fugit ad salices et se cupit ante videri. »

E. — Sæpe fit ut, commemoratis Scripturis sacrisque auctoribus, Imitationis auctor librorum titulos scribentiumque nomina taceat, quæ rarissime indigitantur. Hæc fere tantum invenias : « ... *ait « Evangelista Lucas*, I, XIX, 7 » ; « ... *ait humili s Franciscus*, III, L, 8. » Contra autem sæpissime Thomas a Kempis et nomina scriptorum quos citat, et operum titulos e quibus aliquid excerpit, indicere solet : quod quidem sexcentis exemplis monstrari pos sit (2).

F. — Paucissima Imitatio exempla e Sacra Historia desumpsit.

(1) Cf., tamen, I, III, 2, § 7 : « *Tædet me...* » ; V, 1, *extr.*; X, 1, § 3 : « *Vellem « me...* » ; XXII, 1, § 2 : « *Nec ego...* » ; XXV, 2 et 5, § 4 et 5 : « *Quam jucundum...* » et 9, *extr.*; — II, IX, 7 ; — III, XIV, 1, *extr.*; XXXIV, 3, § 5 ; XLVIII, 5 ; etc. : qui omnes loci personæ propriæ sensus et motus revelare videntur.

(2) Sermon. ad Novit. III, 5 : « *Salomon ait...* » — *Ibid.*, 6 : « *Legitur in libro « primo Machabæorum...* » — *Ibid.*, 8 : « *Legitur in Actibus Apostolorum...* » *Sermon. ad Novit.*, VII, 1 « *Juxta illud Salomonis.* » — *Ibid.* : « *Salomon ait...* » — *Sermon. ad Novit.*, X, 3 : « *Juxta illud Psalmistæ.* » — *Ibid.*, 11 : « ... *Juxta illud « proverbium Salomonis ...* », etc... Quod quidem non modo in *Sermonibus*, sed et in aliis Kempisiis operibus fieri solet. *Solil. anim.*, I, 1 : « *Vox canit in psalmo...* » — *Ibid.*, I, 4 : « *Scio scriptum.* » — *Ibid.*, I, 8 : « ... *Quale et sponsæ in Canticis : Indica mihi, inquit...* » — *Ibid.*, V, 2 : « ... *Verbum Prophetæ dicentis...* » — *Ibid.*, VIII, 1 : « *Paulus ait...* » — *Ibid.*, XV, 10 : « *Memoriter teneo quid dixerit David...* » — *Ibid.*, XXV, 11 : « *Videte, inquit Paulus...* » — *Hortul. Rosar.*, IX, 1 : « *Legitur in Genesi...* » — *Ibid.*, X, 2 : « *Hinc Sanctus David canit...* » ; etc., etc.

ST. MICHAEL'S COLLEGE ... Treasurer

Longe aliter Thomas a Kempis. Sic, in opusculo *De tribus tabernaculis*, quot viros ante oculos nostros quasi uno agmine (cap. I, 10, 11 et 12) evocat, in quo SS. Franciscus, Martinus, Augustinus, Paulus, Antonius, Macarius, Pacomius, Arsenius, Alexis, Joannes Eleemosynarius, Martyrius, Servulus, Gregorius, et vidua sancta Elisabeth producuntur! Quum idem in *Hortulo rosarum* (I, 2) persuadere velit monachis ut amicos deligant viros disciplinatos ac bene moratos, tunc Apostolos cum Christo, S. Marcum cum S. Petro, Timotheum cum S. Paulo, cum S. Joanne S. Polycarpum, qui cum S. Ignatio martyrio affectus est, cum S. Ambrosio, S. Augustinum, Maurum cum S. Benedicto, S. Bernardum cum venerabili abbate Stephano conjunctos esse meminit (1).

G. — Haud sane orba est loquendi figuris Imitatio, in qua, etsi stylus sit in universum gravis et severus, splendent identidem pulcherrimæ figurationes, sed modestia quadam ac temperamento dispersæ, manu satæ, non pleno sacco perfusæ. Sic, I, XIII, 5 : « *Ignis probat ferrum et tentatio hominem justum* » (Cf. II, IV, 2, *extr.*) — III, IX, 2 : « *Ex me pusillus et magnus, pauper et* « *dives, tanquam ex fonte vivo aquam vivam hauriunt...* » Adde III, XXIII, 8 et 9 ; XXVII, 1, § 4 ; etc.

Quam alius est A Kempis, apud quem quasi ad libitum accumulantur comparationes et μεταφοραί, enumerationes et verba sæpe temere congesta et acervata. In *Sermon. ad Novit.*, XX, 1, dixit de Memoria : « *Plantate in hortulo memoriæ vestræ arborem* « *sanctæ Crucis.* » Et sic Crucem definit (*Ibid.*, 11) : « *Hujus* « *nobilissimæ et felicissimæ arboris* radix *est humilitas et pau-* « *pertas,* cortex *labor et pœnitentia,* rami *misericordia et jus-* « *titia,* folia *veritas et doctrina,* flores *honestas et justitia,* « odor *sobrietas et abstinentia,* pulchritudo *caritas et obedientia,* « splendor *fides recta et spes firma,* fortitudo *magnanimitas et* « *patientia,* longitudo *longanimitas et perseverantia,* latitudo « *benignitas et concordia,* altitudo *caritas et sapientia,* dulcedo

(1) Item in *Valle liliorum* dicit (XXIII, 1) : « *Quære Jesum cum pastoribus in præsepio, cum Sanctis Magis in matris gremio; aut cum Simeone et Anna in templo, aut cum Martha in castello, aut cum Magdalena in sepulchro, aut cum apostolis in cœnaculo.* » — In *Dialogo Novitiorum*, in hoc loco : « *Noli retro respicere*, IV, 9 », ab uxore Loth ad Christinam, in duabus tribusve paginis, fere septuaginta nomina virorum aut feminarum, quum e Vetere tum e Novo Testamento excerpit. Cujus quidem rei multa alia quoque exempla proferri possint.

« *amor et lætitia,* fructus *salus et vita æterna* (1). » *Ad Novit.*, XXII, 1 : « *Delectabitur corpus odoribus bonis, anima autem « virtutibus veris.* » — *Ad Novit.*, XXVII, 10 : « *Nemo de istis « rubicundis rosis* (scilicet de martyrio) *acquirendis desperet.* » — *Ibid.*, 13 : « *Hi sacri flores maxime inveniuntur et leguntur « in Evangelicis pratis et hortulis Salvatoris* (2) ». — *Ibid.*, XXX, 8 : « *Utile est domum nostram tegere lapidibus petrinis, ne « ventus elationis inflet, aut imber carnalis delectationis cons- « cientiam maculet. Tegulæ petrinæ sunt exempla Christi...* » — In *Sermon. ad Fratres*, III, 2 et 3, pro verbo *desiderium*, legimus : « *equus sancti desiderii.* »

Quid plura? Opera Thomæ legens, invenies devotum virum hortulano assimilatum (*Hort. ros.*, IV, 3), amorem Christi currui Heliæ, amorem mundi quadrigæ Diaboli (*Ibid.*, XVI, 1), verba Jesu aromatibus (*Ibid.*, XVII, 2). Cum eodem auctore hortulum invises et pomarium ubi nihil deest (*Ibid.*, XVIII, 4). Monachus extra cellam vagans pisci extra aquam manenti comparatur (*Ibid.*, XVIII, 1); humilis qui se superioribus subdit fit arbor quæ radices mittit in imo (*Dialog. Novit.*, II, 1).

H. — E comparatione et metaphora facile itur ad eam quam dicunt allegoriam; quam quidem figuram abunde affectavit Thomas, ut ex ipsis operum ejus titulis apparet. Tertium enim opusculum inscriptum est *Hortulus rosarum;* quartum, *Vallis liliorum*; atque de utroque opusculo auctor in prologo *Vallis liliorum* dixit : « *Iste libellus potest nominari* Vallis liliorum, *ad « distinctionem alterius præcedentis qui* Hortulus rosarum *inti- « tulatur. Quia sicut ille tractat de multis virtutibus, tanquam « de rubeis rosis in hortulo Jesu natis, sic iste loquitur de « multis virtutibus tanquam de candidis liliis in valle Humili- « tatis a Domino Jesu plantatis et Spiritus Sancti intima asper- « sione irrigatis.* » Opusculum quintum inscriptum habet *De tribus Tabernaculis,* quæ quidem tabernacula nihil aliud sunt quam tres virtutes, paupertas, humilitas, patientia.

Neque ipsi libri minus abundant allegoriis. Exempli gratia, in *Sermon. ad Novit.*, XXVII, descripta est sanctæ Agnetis corona

(1) Hanc Crucis descriptionem Sommalius elegantissimam esse declaravit.
(2) Illa « *prata Scripturarum* » Imitationis (III, LI, 2) forsan recordatus est.

quæ, « *speciosis ornata floribus, habet tres circulos argenteos,*
« *continentes tria serta constipata floribus pulcherrimi coloris*
« *et suavissimi odoris. Primus circulus continet sertum ex*
« *albis floribus et candidis liliis in valle Humilitatis conceptis et*
« *natis... Secundus circulus continet sertum ex rubris floribus*
« *colligatum. Istæ rosæ designant carnis castigationem, mundi*
« *despectionem,* etc... » ; et sic hæc corona per totum sermonem, id est per plures paginas depingitur. — *De Christi Passione conc.* XXI, 3 : « *De vinea Domini Sabaoth collige et exporta fas-*
« *ciculum myrrhæ quem inter ubera tua pro custodia cordis*
« *recondas, quia ex eo odor vitæ exhalat, et si bene mastica-*
« *veris, mirabilem confortationem percipies.* » — *Hospitale pauperum,* XX : « *In omni devota congregatione fulgent præ-*
« *cipue septem commendabiles gemmæ, tanquam devotionis*
« *signa... Prima gemma est obedientia in subditis, etc.., etc...* »

Quum multa alia multis in locis inveniantur similia, quid hic commune est cum Imitationis auctore qui nil tale profecto cogitat ?

I. — Nec minus multa verborum enumeratione et congerie A Kempis quam metaphoris et allegoriis gaudet. — *Ad Novit.,* XIX, 12 : « *Inveniuntur boni cum malis permixti, benigni cum*
« *protervis, humiles cum superbis, pacifici cum iracundis, devoti*
« *cum dissolutis, verecundi cum audacibus, taciturni cum*
« *loquacibus, sobrii cum gulosis, fervidi cum tepidis, studiosi*
« *cum pigris, interni cum externis, simplices cum astutis,*
« *veraces cum dolosis, providi cum negligentibus, docti cum*
« *ignaris, prudentes cum fatuis, validi cum infirmis, stabiles*
« *cum inconstantibus, modesti cum discordantibus, et sic de*
« *aliis* » (1).

(1) *Vall. lilil.,* XXVIII, 1 et 2 : « *Tu lux mea et spes mea, Deus meus, tu fortitudo*
« *mea, patientia mea, laus et gloria mea... Tu sapientia mea et prudentia mea,*
« *pulchritudo mea et dulcedo mea... Tu musica mea et cithara, organum meum et*
« *tympanum meum... Tu psalmus meus et hymnus meus, cantus meus et jubilus*
« *meus.. Tu galea mea et lorica mea, arcus meus et gladius meus. Tu thesaurus*
« *meus, aurum meum, argentum meum, talentum meum. Tu domus mea et castrum*
« *meum et palatium meum... Tu scutum meum et vexillum meum, turris fortitu-*
« *dinis et defensor vitæ meæ... Tu hortulus meus et pomarium meum, viridarium*
« *meum et refrigerium meum... Tu aula mea et mensa mea, cibus meus et potus*
« *meus.. Tu cinnamomum meum et balsamum suavitatis meæ, nardus mea et electa*
« *myrrha mea cum pretiosis unguentis... Tu rosa mea et lilium meum et corona*

Loci autem in quibus amplissime Imitationis auctor verborum congerie utitur hi sunt : I, XVIII, *De vita Sanctorum Patrum*, et IV, VII, *De discussione propriæ conscientiæ* : ubi bene atque apte in opus congeries inducta, quoniam hinc nobis fusius vitam Sanctorum Patrum depinxit, quos sequi atque imitari debemus, illinc, enumeratis culpis quas admittere solemus, nos in secretissimas animi latebras, in imos conscientiæ recessus ducit, unde meliores profecto exibimus. Sed hi loci, quamvis ampli sint et copiosi, nullo modo longitudine cum hac Kempisiana verborum congerie, in libro inscripto *Doctrinale juvenum* (VII, 2), comparari possunt : « *Clericus sine sacris libris quasi miles sine* « *armis, equus sine frenis, navis sine remis, scriptor sine pennis,* « *avis sine alis, ascensor sine scalis, sutor sine subulis, tector* « *sine tegulis, faber sine malleis, sartor sine acu et filis, rasor* « *sine cultris, sagittator sine jaculis, viator sine baculo, cæcus* « *sine ductore. Omnes enim parum vel nihil valent, nec profi-* « *ciunt sine instrumentis et bono instructore. Similiter claus-* « *trum et congregatio clericorum sine sacris libris, quasi* « *coquina sine ollis, mensa sine cibis, puteus sine aquis, rivus* « *sine piscibus, saccus sine vestibus, hortus sine floribus, bursa* « *sine pecuniis, vinea sine botris, turris sine custodibus, domus* « *sine utensilibus.* »

J. — Jam vidimus ex iis quæ relata sunt Thomam a Kempis immoderatione quadam verborum efferri. Quum enim res comparat, aut transfert, aut imprimis verba congerit, adeo extra certos limites vagatur ut quis jam finis futurus sit loquendi petamus. Se putat ornate, copiose loqui ; sed hæc ornamenta absona in falsum

« *mea... Tu thalamus meus et lectulus meus, sudarium meum ad tergendum, linteum* « *ad involvendum...* »

Ne plura referam, vide hos locos :

Serm. de Christi Passione, XXIV, 13 : « *Tu in ecclesiis et capellis...* » — *Ibid.*, XXVII, 4 : « *Ecce Altissimus...* » — *Ibid.*, 7 : « *Omnes enim peccaverunt...* » — *Ibid.*, 9 : « *Ipsa namque sacratissima Passio...* » — *Ibid.*, 20 : « *Ipse enim pius...* » — *Serm. de Christi Resurrectione*, XXII, 4 : « *Quis est...* » — *Solil. anim.*, XVII, 2 : « *Ego qui* « *loquor...* » — *Ibid.*, XVIII, 5 : « *Qui sitit veniat ad me...* » — XXI, 4 : « *Ibi est gloriosissima. .* ». — XXV, 11 : « *Potens es autem, omnipotens...* » — *Hortul. ros.*, XII, 16 : « *Devotus delectatur...* » : — XIII, 1 : « *Hæc Deum amplectitur...* » : — XVII, 2 : « *Qui mala alterius audit...* » — *Vall. lilior.*, XXVI, 1 : « *Nihil quippe tibi melius...* » — XXVII, 3 : « *Ideo omnis vox humana. .* » ; — XXIX, 2 : « *Felix anima in hoc mundo ..* » ; — *Hospit. paup.*, X, 2 : « *Bona voluntas odit ..* », etc., etc.

cadunt : hæc verborum sunt lenocinia ; hæc inanis loquendi profluentia, cui simile nihil in Imitatione reperias, cujus auctor, semper sobrius, nunquam modum excedit. Sæpe oratio Thomæ videtur esse inanis quædam rhetoris declamatio. Sic, in *Serm. ad Novit.*, XVI (*Humiliamini),* naturam omnem inducit coram Deo judice homines accusantem, atque in eo loco per plures paginas ignis, aer, aqua, terra, velut ore rhetoris, quam bene de hominibus mereantur ostendunt (1).

Interdum quoque sententiæ pueriles sunt. *Solil. an.,* XV, 6 : « *Docuit me* (Dominus) *sicut mater parvulum, frangens mihi* « *nuces spiritales et inferens faucibus meis nucleos, quia dulces* « *erant ad vescendum.* » — *De Nativitate Christi,* VIII, 9 : « *Oh* « *si scivissem quando huc primum venistis, ivissem utique vobis-* « *cum et bovem vel asinum duxissem. Mantellum Dominæ* « *meæ vel sacculum Joseph per tantum viæ spatium libenter* « *portassem.* » — *Ad Novit.*, XXVIII, 7 : « *Si non vales tam* « *pulchre cantare sicut alaudæ et philomelæ, canta et lauda* « *lugubre sicut corvi et ranæ in palude : qui cantant sicut* « *Deus dedit et natura concessit.* »

K. — De numeris verborum et vocabulis in Imitatione. — Auctorem Imitationis eam quam græce ὁμοφωνίαν dicunt sæpius affectare manifestum habemus, qua de re R. D. Puyol (*De Imitatione Christi libri quatuor*, in Appendice, p. 481) opusculum accuratum confecit, multis collatis exemplis hujus ὁμοφωνίας quam prosæ orationis scriptores duodecimo et tertio decimo sæculo prosequebantur (Cf. S. Anselmium, *de Redemptione*, cap. I, § 3 ; *Medit.*, cap. V, n° 2 ; S. Bernardum, *Medit.,* cap. IV, n° 2 ; VI, n° 1 ; et quocumque lectio tua incidat).

Ex. : Habet Jesus multos amatores
Regni sui cælestis,
Sed paucos bajulatores
Suæ crucis. (II, XI.)

Adde I, I, 4 : « *Vanitas igitur est...* » II, 2 : « *Multa verba...* » ; II, 3 : « *Quanto plus...* » ; *ibid.*, 4 : « *si videres...* » ; *ibid.* : « *Hæc est*

(1) *Ignis dicet :* « Ego, sicut fidelis servus, gratis servio sanis et infirmis, in « coquina, in pistrino, in braxatorio, in lavatorio et in oratorio, et quoties neces- « sarium est, pium me præbeo omnibus calefacere se volentibus ad ignem. Ego « virtute mihi data comburo stamina, cespites, lapides et ligna ; exsicco humida, « calefacio frigida, mollio dura, etc..., etc... », sicque per plures paginas.

altissima... » ; xv, 2 ; xxiii, 6 : « *Eia, carissime...* » ; — II, iii, 3 : « *Iste est victor sui...* » ; xi, 1 : « *Multos habet desideratores...* » ; — III, ii, 3 : « *Ne sit mihi...* » ; xlvi, 4, *extr...* ; xlviii, 2, § 3 ; lviii, 7, 8 et 9 : « *Melius est...* » ; — IV, i, 1 et 2 ; vii, 2 ; et *passim* in toto opere.

Ex recitatione in commune facta, ut solebat, hæc solutæ orationis concinentia frequentior fieri atque in consuetudimen adduci debuit.

Apud Thomam Kempisium tam sæpe fit homœoteleuton ut oratio jam pæne odiosa fastidium moveat, præsertim quum homœoteleuton fiat ex acervatis adverbiis, adjectivis et formis verbalibus similiter desinentibus : ita ut artem, seu si velis, artificium, cujus in Imitatione splendor enitet, apud Thomam senescere et in deterius labi facile percipiatur. Ex. : *Ad Novitios*, xiii, 5 : « *Probat frequenter, corripit amanter, instruit sapienter, « vocat incessanter, pulsat fortiter, aperit libenter, suscipit « lætanter, indulget clementer, donat sufficienter, coronat « excellenter* (1). »

l. — In Imitatione nunquam vanus resonat tinnitus aut crepitus verborum ; quumque verba multiplicantur, sic et multiplicantur sententiæ, aut, ut sæpe fit, una sententia in varias partes dividitur. Apud Thomam verba quasi per jocum verbis adjiciuntur, ut pro uno duo vel tria reposita sint. — *Solil. anim.*, viii, 2 : « *Iste qui mortuus mundo est quandoque tam dulciter, tam for- « titer et ardenter ad Deum trahitur, rapitur et tenetur, ut non « audiat aut vix sentiat quæ juxta se sunt et strepunt in « mundo, quia non est ibi, sed alibi, non infra, sed supra, cum « Deo et in Deo, qui ipsum introrsus movet, erigit*, etc... » — *Ibid.*, 3 : *Hoc enim desiderat et orat ut omnibus hominibus no- « tum se faciat et omnes ad se convertat et trahat, ut ipse solus « laudetur et glorificetur.* » — ix, 2 : « *O Deus æterne, summe*

(1) *Hort. ros.*, xiv, 2 : « *Certa fortiter, ora ferventer, labora diligenter, stude fre- « quenter, tace libenter, sustine patienter.* » — *Vall. lilior.*, xiii, 3 : « *Beatus qui Jesum « et Mariam sedulo invocat, devote salutat, amorose commemorat, eximie honorat, « lætissime collaudat, altissime glorificat, ardentissime amat, suavissime eructat, « jucundissime celebrat et cantat.* » — *Hortul. ros.*, xiii, 1 : « *Hæc de peccatoribus « facit justos, de servis liberos, de hostibus amicos, — de peregrinis cives, de ignotis « familiares, de vagis stabiles, de superbis humiles, de perversis mites, — de tepidis « fervidos, de tristibus lætos, de tenacibus largos, — de terrenis cælestes et de » indoctis sapientes.* »

« *et immense, creator omnium et rector...* » ; et passim. — In loco quodam auctor vocabulum *unicus* fere declinare videtur. *Solil. anim.*, I, 2 : « *Non est similis vagis amatoribus, sed* « *unicus unici unicum requirens.* »

XI. — Plerumque fieri solet ut homo quisque et scriptor certum verborum numerum præ manu habeat, et quo magis quis ingenuis artibus sit instructus, eo pluribus vocabulis in sermone et scriptis utatur. Quinetiam sententiis vocabula ita alligantur ut, quum eædem sententiæ pluries in mentem occurrant, pluries et eadem verba. Porro A Kempis, quum in promptu haberet omnes fere voces Imitationis, quam legerat et meditatus erat et non semel transcripserat, multis tamen vocabulis utitur quæ, etsi sententiæ a materia Imitationis non abhorreant, frustra in Imitatione requiras. Ex his verbis totum pæne glossarium confici possit ; tantummodo hæc pauca, exempli causa, excerpamus : *Attædiando, cælo empyreo, confratres, dyscolis, agonyzante, scrutinium, reprobos, essentiale, corrigiam, monedula, thurificare, ruminare, præstolari, arram, pausare, clausura, cauterium, indomabilem, exsufflare, capabile, scopare, eremitare, simili lance pensare, consputum, colaphyzatum, vernantissima, nocumento, repausem, entia, inquinamenta, inilluminata, pausatio, specular, misericordialissime, quietatur, abrenuncias, laboriosas, illapsu, peremptrices, imperatrices, stabilimentum, mediante, doctrix, reveribilis, proficuum, camera, latenter, vicario Christi* (Hoc apud Thomam dicitur de abbate), *parentela, ineptitudo, fixura* (Apud Kemp. substantivum verbum), *culcitra, amorose, fustigare, lepra, incorrigibilis, bravium, melodizare, autumare*, etc..., etc...

Fit quoque ut vocabulum unum et idem non eodem sensu in Imitatione atque apud Thomam usurpetur ; aut, si re unum sonet, diversa tum fiat sententia. Sic (*Vall. lilil.*, XII, 2) : « *Lauda Deum* « *et laudaberis, benedic et benediceris, sanctifica et sanctificabe-* « *ris*, etc... » Quid hoc significet, *sanctificare Deum*, haud plane video. Quanto præstant hæc Imitationis (IV, XII, 3) : « *Tu mei* « *indiges, non ego tui indigeo. Nec tu me sanctificare venis, sed* « *ego te sanctificare et meliorare venio.* »

X. — Nusquam autem A Kempis plus Imitationis auctori inferior esse apparet quam in iis ipsis locis quos, propter similitudinem sententiarum, propius, ut ita dicam, conferre possis.

Imitat., I, III, 5 et 6 : « *Dic mihi ubi sunt modo omnes illi* « *domini et magistri, quos bene novisti dum adhuc viverent et* « *studiis florerent. Jam eorum præbendas alii possident et* « *nescio utrum de iis recogitant. In vita sua aliquid esse vide-* « *bantur, et modo de illis tacetur. O quam cito transit gloria* « *mundi!* » Quanto hic locus, eleganter simul simpliciterque scriptus, his Thomæ verbis præstat : « *Moritur Dominus Papa* « *et Cardinalis, et succedit alius cito moriturus. Nemo quippe* « *unius diei certitudinem vivendi habet, nec impetrare potest a* « *papa bullam nunquam moriendi, nec obtinere pecunia præ-* « *bendam jugiter manentem. Sæpe enim post impetratam gra-* « *tiam et prælaturam, repentina mors venit et omnia simul* « *tollit : sicque fit ut ita pauper et nudus homo de Roma recedat,* « *sicut prius ad curiam venit*, etc... » (*Vall. lilil.*, XXV, 3); et in « alio loco (*Hort. ros.*, IV, 3) : « *Omnia sunt nulla, rex, papa et* « *plumbea bulla.* »

Imitat., I, XVII, 2 : « *Habitus et tonsura modicum confert, sed* « *mutatio morum et integra mortificatio passionum verum* « *faciunt religiosum.* » Audi Thomam (*Ad Novit.*, XIV, 9) : « *Non* « *loci amœnitas nec magnitudo, non vestis pulchra nec gradus* « *excellentia perfectum faciunt religiosum ; sed perfecta sæculi* « *abrenunciatio, et vitiorum quotidiana mortificatio et præ-* « *cipue puritas cordis et amor virtutum tendens directe ad* « *Deum...* » (Cf. *Vall. lilil.*, I, 2.)

Imitat., I, XV, 2 : « *Sæpe videtur esse charitas et est magis* « *carnalitas.* » — *De discipl. claust.*, XI, 2 : « *Sœpe putatur esse* « *charitas et est magis carnalitas. Libenter bibere vinum et* « *loqui cum feminis, caro est ; lente comedere et ornate vestiri,* « *caro est...*, etc. » (Vide locum).

Imitat., I, XI, 5 : « *Sæpe sentimus ut meliores et puriores in* « *initio conversionis nos fuisse inveniamus quam post multos* « *annos professionis.* » — *Solil. anim.*, III, 2 : « *Multi prima* « *sunt conversione boni et humiles, postea perversi et rebelles.* « *Prius timorati et devoti, compuncti et taciti, post vero* « *liberi et dissoluti, loquaces et incustoditi. Et qui prius cogita-* « *tiones restringebant, postea de verbis et factis vix curam* « *gerunt*, etc... »

Quinetiam non semel, ipsa Imitationis verba Thomas mutuatus est.

Imitat., I, II, 3 : « *Si vis utiliter aliquid scire et ediscere, ama* « *nesciri et pro nihilo reputari.* » — A Kempis (*Alphab. parv. mon. in schol. Christi, lect. I*) : « *Ama nesciri et pro nihilo repu-* « *tari* », et *Dialog. Novit.*, IV, 3 : « *Fuge, tace, quiesce, abscon-* « *dere, elongare,* ama nesciri, *disce mori, fuge præterita, sperne* « *præsentia, meditare futura.* » Quo in loco *ama nesciri* in hac inani verborum profluentia demersum est, de qua toties Thomam objurgavimus.

Ergo multum Imitatio discrepat ab aliis Thomæ A Kempis operibus, quæ nullo modo miras hujus eximii libri laudes assequi possunt, ut illi ipsi confitentur qui a canonico steterunt (Malou, *op. l.*, p. 217). Frustra autem in hanc conjecturam, quasi in diverticulum confugiunt, scilicet id opus esse « *le point culminant de tous ses traités* » (Malou, *op. l.*, p. 218), et librum in quo strinxerit doctrinam « *éparse dans ses autres écrits* » (Malou, *l. l.*). Illis enim objicietur cognita temporum ratio, quum Imitationem ipsi declarent (Malou, p. 210-211) a Thoma jam anno 1410 aut saltem paucis post annis fuisse compositam. Necessitate igitur quadam adducimur ut concludamus a Thoma Kempisio Imitationem nec fuisse compositam, nec potuisse componi.

Ceterum, ne quis eum accuset, dicamus Imitationem ei gratuito fuisse attributam, quum scilicet ipse non talem honorem assumpserit. Etenim iisdem verbis codicem anni 1441 obsignavit (Malou. *op. l.*, p. 105), quibus Bibliam anni 1438 et Missale anni 1417 obsignaverat ; quæ quidem subscriptio auctoris esse quibusdam haud recte visa est. Quum codex anni 1441 tractatus plures complectatur qui a Thoma a Kempis non compositi sunt (Cf. Barbier, *Diss. sur 60 trad. fr. de l'Imit.*, p. 218 ; Loth, *Rev. des Quest. hist.*, XIV, p. 565 et 579 : Puyol, *La Doct. du liv. de l'Imit.*, 461. *sqq.*), eos tantummodo ut transcriptor obsignare potuit et obsignavit : « *Finitus et completus per manus Thomæ a* « *Kempis.* » Et jam supra vidimus (p. 94) aliter eumdem de propriis suis operibus agere. Possideat ergo gloriam illam boni transcriptoris quam sæpe commendat (1), non aliam.

(1) Exempli causa (*Sermon. ad Novit.*, XXI, 3), Maria filio de monacho ex hac vita migranti his verbis loquitur : « *Hic est notarius noster scribens sacros libros.* » Alio in loco (*Conc. et Medit.*, XX, 5), legimus : « *Quot litteras debite formas, tot* « *Deo hostias laudis offers.* » In *Vall. lilil.*, I, 1 : « *Qui vult servire Deo studeat...* « *libros scribere.* »

Præterea id in memoriam revocemus, scilicet omissis etiam codicibus *Aronensi, Grandimontano, Thevenotiano* (Loth, *op. l.*, p. 529), quos docti viri Natalis de Wailly et Leopold Delisle, post doctos alios, Cangium, Baluzium, Launoium, Mabillionem, potuisse exarari quarto decimo sæculo arbitrantur, quam opinionem Kempistæ rejiciunt, omisso quoque codice *de Advocatis* aliisque quorum antiquitas in controversia relinquitur, inter omnes tamen constare jam ante codicem Kempisium anni 1441 in pluribus codicibus, quorum ætas certa et finita est, contineri quatuor libros hoc ordine quo nunc sunt. Qui quidem codices quum et alii tum et hi sunt : *Gaesdonckensis* anni 1425 (Malou, *op. l.*, p. 103 ; Loth, *op. l.*, p. 562), circa 1853 repertus ; *Heidelbergensis* anni 1433 (Malou, p. 387, not.) ; *Meliciensis* anni 1434 (Loth, p. 561) ; alius codex *Heidelbergensis* anni 1436 (Malou, p. 387, nota). Ergo codex Kempisius anni 1441 nil nisi transcriptio est post multas alias confecta ; et A Kempis ille vir est quem Canonicus Regularis alius, qui Chronica Sanctæ Agnetis persecutus est, his laudibus ornavit : « *Scripsit Bibliam nostram totaliter et alios multos libros pro* « *domo et pretio. Insuper compilavit varios tractatulos ad ædi-* « *ficationem juvenum* » (Barbier, *op. l*, p. 219 ; Puyol, *La Doct. du liv. de l'Imit.*, p. 453, not. 1). Quis autem tulerit Imitationem inter hos *varios tractatulos* annumerari ?

OPERIS SUMMA AC CONCLUSIO

Quum per tria fere sæcula tot et tantæ controversiæ exortæ sint de Imitationis auctore, et huic quæstioni operam suam tot doctissimi viri navarint, agnoscendum est librum illis tanti pretii visum fuisse, ut dignus esset de cujus possessione inter diversas terrarum gentes certaretur. Nec immerito, quoniam nobile præmium certaminis erat is liber, quem Christiani ingenii prope apicem arbitreris et soli Evangelio, ut dictum est, cedentem.

Idcirco nos juvisset eximium ac prope divinum opus uni e nostratibus auctoribus addicere, atque inde nostras gallicas litteras, jam tot mirabilibus monumentis celebres, addito Imitationis auctore, nova nec minima laude ornare. E Gallis autem duo tantummodo viri ut auctores Imitationis designati sunt, quorum de uno, B. Bernardo, pæne silendum fuit. Etenim, quamvis quibusdam sententiis Imitatio et Bernardus coeant, nunquam tamen Claræ Vallis clarissimus abbas Imitationem scripsisse a doctis dictus est, neque prorsus dicendi genere ac latinitate cum sermone et stylo Imitationis scripta ejus concordant. Alter autem, Gerson, insignis ille Parisiensis Universitatis cancellarius, multo plures defensores habuit, nec fortasse desunt etiamnunc qui ejus partes tueantur. Nos vero, et fere inviti, huic tali viro Imitationem non posse attribui ostendimus, quum et doctrina, præsertim de Gratia, toto cœlo ab Imitatione distet, et tantam sermonis habeat diversitatem, et propter magnos labores, propterque indolem propriam et vitæ conditionem, nostrum librum composuisse vix potuerit, et opus id nullus editor ejus voluminibus inseruerit.

Remotis ergo nostratibus, ad externos migrandum fuit.

Quærenti primum quis fuerit Imitationis auctori vitæ status et

conditio patuit librum illum, etsi in eo multa laicæ etiam vitæ conveniant, e quibus optimus profecto scientiæ moralis tractatus conflari possit, pro monachis tamen esse compositum ; hujus etiam scriptorem fuisse cum monachis conversatum, neque unum e multis, sed aut abbatem aut priorem : quod aperte innuitur et ex integris pluribus libri capitibus, quæ de regimine monachorum expresse et affatim tractant, et ex verbis multis in aliis capitibus inspersis.

Præterea credendum est eum neque Carthusianum, neque Cisterciensem, neque unum fuisse e mendicantibus et prædicantibus monachis ; sed potius in Benedictinorum Ordinem cooptatum, cum ea ipsa quæ pius auctor præcipit apprime cum Benedictinorum regula consentanea sint. Sit ergo Benedictinus, quoniam quoque Benedictinum eum demonstrant et prima littera codicis Cavensis, et vox « Domini » in loco quodam Imitationis exarata, et littera D. in inscriptione Veneti ejus exemplaris cujus quidem, incendio olim deleti, memoria in multis scriptis tradita est.

De nomine autem hujus auctoris, de loco ubi vixit, fides sit his codicibus qui, quum nomen Gersenis præferant, et in Superiore Italia reperti sint, eum Gersenem in illa Italiæ parte vixisse denuntiant ; fides sit et illi Veneti illius exemplaris inscriptioni, quæ eum Vercellensem abbatem fuisse declarat ; fides sit etiam tot gallicismis quibus est referta Imitatio, et quibus abundare necesse fuit hanc Italiam Superiorem, quæ prius Gallia Cisalpina dicebatur.

Quod si ætatem requires ad quam liber referendus sit, indicia sint et illa fides placida et sincera quæ in toto opere enitet, et mentio de peregrinationibus, de sericis ad involvendas Sanctorum reliquias, et Sancta Deipara bis tantum in toto libro nominata, et controversiæ de dogmatibus reprobatæ, et Carthusienses Cisterciensesque laudati, et objurgatæ de meritis Sanctorum disputationes, nec non et Diabolus nondum sua horribili facie et tremenda supellectili depictus, et nulla de festo Sancti Sacramenti mentio, et auctores multi qui tertio decimo et quarto decimo nostrum librum novisse videntur, et facta de Antonio Paduensi et Francisco de Assisio tanquam nuper mortuorum mentio, et quædam in Ecclesia tertio decimo sœculo peculiariter usitata : hæc omnia, ni fallor, tertium decimum sœculum significant, pro qua ætate etiam doctorum multorum sententiæ certant.

Nec est ut objiciatur Imitationem diversis temporibus et a diversis auctoribus fuisse compositam aut potius coagmentatam, quum tali opinioni et unitas totius operis (sive ordinem in universum æstimes, sive, singula prosecutus, lectionum capitumque seriem examines), et mira illa quoque deprompta in eo doctrinæ unitas impugnent.

Quæ quum ita sint, quid fiet de illo Thoma a Kempis, quem totus fere exercitus defendit? Namque diversi manu scripti codices, inter se comparati, manifesto ostendunt Antuerpiensem codicem, quem Thomas exaravit, meram esse transcriptionem, in qua, ut vidimus, bonas lectiones pluries non adoptavit; adde et scripta Thomæ cum Imitatione nec de rebus nec de verbis congruere, tantumque supra Thomam auctorem Imitationis extolli, « quantum lenta solent inter viburna cupressi. » Num demum pro Thoma plus expotulemus quam ipse Thomas, qui, quum sibi hunc honorem non vindicarit, sua librarii fama contentus, nil jam nos poscere videtur nisi ut, finitis de se his controversiis, sibi tandem æterna in pace requiescere liceat ?

CONCLUSIO

Quum igitur tres sint tantummodo viri quibus Imitatio a doctis attribuatur, Gersen scilicet, Gerson et Thomas a Kempis, admodumque improbabile sit librum a Gersone aut a Thoma fuisse compositum, multæ autem rationes pro Gersene concurrant, quid restat nisi ut Gerseni gloriam non quæsitam sed debitam concedamus ?

FINIS.

APPENDIX

EXPLANATIO IMITATIONIS PER SINGULA CAPITA

LIBER PRIMUS

Cap. I. — *Argumentum totius operis* : Ama Jesum et sequere vias ejus, nam cetera vana sunt.

Prima lectio. — Cap. II : Incassum tumet scientia humana : sola humilitas vere scientia est.

Cap. III : Idem explicat.

Cap. IV : Si quis humilis erit et sibi diffidet, is erit in judicandis aliis atque in agendo verecundus.

Cap. V : Hac eadem humilitate Scripturas aliosque libros pios evolvas.

Cap. VI : Felicem humilem et « pauperem spiritu, » qui « sibi mortuus est. » Is se cupiditatibus eripuit.

Cap. VII : Non vanam spem concepit, non despondet animum ; scientia, divitiis, potentia rebusque aliis non tumet.

Cap. VIII : Libens cum humilibus et simplicibus viris conversatur et importunas familiaritates devitat.

Cap. IX : Amat obedientiam.

Lectio secunda. — Cap. X : Invigila linguæ tuæ et vana fuge colloquia : cum piis et sapientibus viris colloquere.

Cap. XI : Ne te rebus alienis implices ; totus in te intende, et Sanctorum exemplo fultus, propriis exstirpandis vitiis incumbe.

Cap. XII : Tibi molestiæ, dolores, tentationes adjumento sint ut ad Deum te conferas.

Cap. XIII : De sustinendis tentationibus.

Lectio tertia. — Cap. XIV : Sæpius in judicando aut in agendo seu præconceptis opinionibus, seu propria nostra utilitate in errorem inducimur.

Cap. XV : Quidquid agimus ad Deum et ad veram caritatem referatur.

Cap. XVI : Aliorum vitia toleremus ut nos ad patientiam exerceamus, propriorum vitiorum memores.

Cap. XVII : Vita monachi omnino abjectione sui, « mortificatione passionum », patientia constat.

Cap. XVIII : Ante oculos exempla habeamus Sanctorum Patrum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum.

Cap. XIX : Indesinenter studeamus ut ad Deum animus noster propius progrediatur.

Cap. XX : Quam bona pace, quam dulci gaudio verus religiosus perfruitur !

Lectio quarta. — Cap. XXI : Quam utilis et fructuosa monacho absoluta « compunctio », qua falsa gaudia contemnit vanasque mundi acerbitates, ut tantummodo purgandæ propriæ conscientiæ incumbat, dignusque fiat quem Deus consoletur.

Cap. XXII : Væ homini qui vitæ hujus terrestris miserias quid sint non intelligit neque unice cælestia bona appetit !

Cap. XXIII : Cogita mortem semper præsentem, neve operandam salutem tuam procrastines.

Cap. XXIV : Vivide depingitur novissimum judicium.

Primi libri summa ac conclusio. — Cap. XXV : Ultima atque instanti adhortatione monet nos auctor quo spectet totus hic liber cujus prima verba (nº 6) iterantur.

LIBER SECUNDUS

Lectio prima. — Cap. I : Intra te ipsum recede, ubi cohabitatorem habebis Jesum Christum, qui te ab omni mœrore recreabit.

Cap. II : Deum semper in mente habe : qua quidem cogitatione facilius « confusionem accipies » : Deo placet humilitas.

Cap. III : Esto mitis et patiens : bonus et pacificus homo multo præstat aspero et suspicioso.

Cap. IV : « Simplicitas in intentione, puritas in affectione » duæ alæ sunt quibus anima ad Deum extollitur.

Cap. V : Amans Deum anima cæco sui amore non laborat ; terrestres curas despicit.

Cap. VI : Illi recta conscientia veram sola lætitiam, veram gloriam parit.

Lectio secunda. — Cap. VII : Ama Jesum et « solus cor tuum habeat, » quippe qui unus sit amicus fidus et constans.

Cap. VIII : Ama Jesum per quem omnia fiunt facilia et bona ; tecum

erit, si humilem te præstabis et pacificum ; ama alios propter Jesum, qui est Dominus et cujus gratia abit et redit.

Cap. IX : Divina absente gratia, ne desperes.

Cap. X : Hanc revoca precibus, hanc humilitate ac grato animo retine ; et quum illa te reliquit, cogita te natum ad patiendum, non ad gaudendum.

Cap. XI : Pauci autem Crucem Jesu amant ; ubi invenias qui Deo gratuito servire velit ?

Cap. XII : Tu igitur, porta crucem tuam libenter et sequere Jesum : via crucis sola ducit ad cælum (1).

LIBER TERTIUS

Meditatio. — Cap. I : Ne igitur externa audiantur : « Audi, anima mea, quid in te loquatur Dominus. »

Invocatio. — Cap. II : Loquere, Domine, ipse loquere ; nam vox ipsa Moysis et Prophetarum sine te nihil est.

Cap. III : Incipit admonitio interna Dei ; quod multi serviunt mundo et falluntur ; sed soli Deo serviendum. — Oratio pia Fidelis.

Cap. IV : Fili, perceptam habeas propriam tuam infirmitatem : id primum est sapientiæ donum.

Cap. V : Domine, hoc primum a te peto ut te amem : omnia est amor, omnia potest, omnia novit et modum sæpe nescit.

Cap. VI : « Fili, non es adhuc fortis ac prudens amator, » quod interdum deficis ; fortius certa, unde majus promerebis præmium.

Cap. VII : Oportet te nec superbire de gratia, nec desperare.

Cap. VIII : Domine, sine te nihil possum, nihil sum, « te solum quærendo, me et te invenio. »

Cap. IX : Ita est, fili ; ego fons vivus unde manant omnia bona ; in me solo est omnis lætitia, spes omnis.

Cap. X : Domine, volo tibi æternum servire ; nam tibi servire jucundum est ac gloriosum.

Lectio secunda. — Cap. XI : « Fili, oportet te adhuc multa addiscere » : desideriis tuis, tuæ voluntati et carni diffide.

Cap. XII : Video rem esse multi operis. — Ita est, fili ; sed certum est præmium, tuique labores præstant deliciis mundi.

(1) « *Si socius fueris pœnæ, eris et gloriæ* » (nº 2, *extr.*). Quibus verbis mire quadrat id quod dixisse fertur diva virgo expultrix Anglorum, Joanna de Arco, quum Remis ad sacrum Carolo regi adstaret, vexillum expansum ferens quod bellando gestare consueverat : « *Ut socium habui laboris*, ait, *sic et socium habeam* « *honoris. — Il a été à la peine, c'est justice qu'il soit à l'honneur.* »

Cap. XIII : Per obedientiam acquires virtutem luctandi contra te ipsum.

Cap. XIV : Domine, sum « nihil et nihil ; » tuis judiciis ac viis me subjicio ; nam tu es veritas et vita.

Cap. XV : Fili, confide mihi et me judicem elige, quidquid cogitaveris aut egeris ; ego te ducam. — Deum Fidelis pia oratione implorat.

Cap. XVI : Fidelis, postquam oravit, de vera felicitate meditatur.

Lectio tertia. — Cap. XVII : Instituitur dialogus inter Dominum et Fidelem. Is sibi Deum unicum ducem eligit.

Cap. XVIII : Dominus memorat quæcumque pro hominibus passus est; huic Fidelis quam maximas gratias agit.

Cap. XIX : Eum hortatur Dominus ut omnia ab omnibus patiatur : Fidelis gratiam supplex petit qua naturam vincat.

Cap. XX : Infirmitates suas ac miserias confitetur : se ita mundo deditum esse ac sensibus subjectum deplorat.

Cap. XXI : Jesum serie nominum et invocationum, quasi in letaniis quibusdam, appellat.

Cap. XXII : Sapientiam summi omnium rerum Rectoris adorat, agnoscitque sibi non dolendum, sed potius lætandum, si in ultimo gradu fuerit positus.

Lectio quarta. — Cap. XXIII : « Fili, inquit Dominus, docebo te viam pacis et veræ libertatis. » Primo illum hortatur iterum ut sit subditus, humilis, et precetur in se semper fiat voluntas Dei. — Fidelis sublimi oratione petit ut gratiam accipiat, firmum adversus « malas cogitationes et concupiscentias » præsidium.

Cap. XXIV : Ultra pergit Dominus : Secundo Fideli præscribit ne curet quid hi aut illi agant aut dicant, quum non aliorum vitæ, sed suæ, rationem sit redditurus.

Cap. XXV : Tertio ne speret integra pace his in terris se fruiturum, sed quæcumque Deus dabit libens accipiat.

Cap. XXVI : Fidelis iterum a Deo opem petit, ne amore terrestrium a cælestibus avertatur.

Cap. XXVII : Quarto præcipit Dominus ut Fidelis a sui amore et propriæ utilitatis et commodi caveat. — Tum petit Fidelis ut, contemptis omnibus quæ transeunt, « in interiori homine confirmetur, » et patientia adversus malignos, prudentia adversus blandientes corroboretur.

Cap. XXVIII : « Ne sit pax tua, inquit Dominus, in ore hominum. »

Lectio quinta. — Cap. XXIX : Fidelis adversus instantem tentationem auxilium flagitat.

Cap. XXX : Ejus animum confirmat Dominus docetque quonam modo sese gerere debeat diebus « tribulationis » : precetur et confidat ; namque sæpius, quum nos derelictos arbitramur, in propinquo auxilium ; ceterum

adversa habeat tanquam quamdam vitæ præsentis necessitatem, qua « transitur ad regnum cælorum. »

Cap. XXXI : Domine, « quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam ? » Is ad te evolare potest qui omnia terrestria temnit ac rejicit, gratia tua illuminatur et, perdomita natura, ad contemplativam vitam pervenit. Nostra natura fallimur; gratia tua non fallit.

Cap. XXXII : « Fili, adhuc multa habes ad relinquendum ; » quæ si non reliqueris, vera libertate non perfruere. « Dimitte omnia et invenies omnia. » — Nimirum hoc difficile est, Domine. — Macte animo tamen ; nam tanti sunt gaudium et pax.

Lectio sexta. — Cap. XXXIII : Fili, tibimetipsi diffide; agitabitur cor tuum omni « vento instabilitatis, » nisi ad me unice dirigetur.

Cap. XXXIV : Fidelis : « Ecce Deus meus et omnia ; te absente fastidiunt cuncta ; » in te omne gaudium, omnis sapientia ; purifica, illumina cor meum, et libera iis turbis quas vetus homo nunc quoque, proh dolor ! in illo concitat.

Cap. XXXV : Fili, nunquam ærumnis ac tentationibus carebis, neque caruerunt Sancti mei ; sed arma sint tibi patientia et fides. « Si quæris in hac vita requiem, quomodo pervenies ad æternam requiem ? »

Cap. XXXVI : Fili, ne te moveant vana hominum judicia. Num ea ipse Paulus effugere potuit ? Quid adversus te « verba querulosa, » si Deo totum te committes ?

Cap. XXXVII : Iterum Deus præcipit « integram sui resignationem, » omni tempore atque in omni re. Hac sola conditione homo totus erit Dei, et vera pace ac libertate fruetur.

Cap. XXXVIII : Hortatur Fidelem ne rebus exterioribus ac fluxis regi se patiatur, sed potius consectetur æterna, atque in omni re ad Deum adjutorem confugiat : sequatur exempla Moysis et Josue.

Cap. XXXIX : Denuo « abnegationem sui » exteriorumque rerum contemptum Dominus commendat.

Cap. XL : Fidelis Domino gratias agit quod debilem adjuvare, labentem sustinere dignatur; omnem laudem humanam, terrestrem omnem amorem repudiat ; Deus solus dignus est qui ametur et laudetur.

Lectio septima. — Cap. XLI : Docere pergit Dominus Fidelique magis commendat ne angatur, si viderit « alios honorari et elevari, se autem despici et humiliari. » — Respondet Fidelis se merito pro peccatis relinqui et contemni, neque aliter posse in interiore pace confirmari, « spiritualiter illuminari » et Deo plene uniri.

Cap. XLII : E pectore amoveamus omnem terrestrem amorem, nihil nisi in Deo et propter Deum diligamus.

Cap. XLIII : Vanam omnem scientiam rejiciamus : plura a Deo hora una docebimur « quam si quis decem annis studuisset in scholis. »

Cap. XLIV : Fili, noli « contentiosis sermonibus deservire : » esto « mortuus super terram. » — « O Domine, quousque venimus ? » Laboratur, curritur ad terrestria ; cælestia negliguntur.

Lectio octava. — Cap. XLV : Fidelis invocat Dominum cujus solius subsidium stabile ac certum est; humanæ amicitiæ instabiles ac falsæ ; anima « in Christo fundata » non externa timet, nec « verborum jaculis » movetur ; omnis homo fragilis atque ejus lingua mendax. Ab hujus modi linguis protege me, Domine ; « verbum verum et stabile da in os « meum. O quam bonum silere, nec indifferenter omnia credere, nec « appetere quæ foris admirationem videntur præbere, sed ea tota seduli- « tate sectari, quæ vitæ emendationem dant ! » — Hæc verba Fidelis, etsi plenam patientiam profitentur, nondum tamen omni ægritudine carere videntur ; has malignas linguas instabilesque amicitias sentimus ab illo nondum negligi ac despici.

Cap. XLVI : Hunc igitur iterum hortatur Dominus ne obtrectatorum verba curet : « quid enim erunt verba nisi verba, » si ipse sibi nullius culpæ conscius erit et si approbatorem habebit Deum, « judicem et cognitorem omnium secretorum ? » — Declarat autem Fidelis non satis se conscientia defendi, sed auxilio egere.

Cap. XLVII : Ei ostendit Dominus quantam felicitatem pro his terrestribus laboribus et hac præsenti humilitate sit accepturus.

Cap. XLVIII : Tum, gaudio impulsus, Fidelis felicitates splendoresque cælestis civitatis canit : jam velit hac mortali vita liberari, atque opem petit supplex, ut ab hoc misero carnis famulatu solvatur.

Cap. XLIX : Respondet Dominus vitam sine laboribus et « probationibus » degi non posse : quibus dignus fiet ut in divinum domicilium « intret, ubi apparebit fructus obedientiæ, gaudebit labor patientiæ, et « humilis subjectio coronabitur gloriose. »

Cap. L : Fidelis quasi quodam cantu pollicetur se quidquid Deus miserit bono animo accepturum et in solo Deo spem suam repositurum.

Lectio nona. — Cap. LI : Dominus Fideli in mentem revocat eum in his terris non posse « spiritualibus studiis et divinæ contemplationi indesinenter inhærere. » Ei auxilium gratiæ promittit.

Cap. LII : Domino Fidelis gratias agit quod indigno peccatori subvenit, qui nil nisi lacrymas et « peccatorum contritionem offerre potest. »

Cap. LIII : Præcipit Dominus, si velit gratiæ dono esse dignus, « omnes « inordinatas affectiones mortificet atque nulli creaturæ, privato amore, « concupiscenter inhæreat. »

Cap. LIV : Ei explicat diversos motus naturæ et gratiæ.

Cap. LV : Mihi, ait Fidelis, « opus est gratia tua et magna gratia, ut « vincatur natura. » Dolet in se adeo contraria concurrere imploratque gratiam, cujus virtutem celebrat.

Cap. LVI : Hunc Dominus docet quonam modo sit semetipsum « in « voluntate Dei abnegaturum », unde et vitabuntur quæ in nobis ita dissident, et amovebuntur questus. Hoc mandatum depromit : « *Sequere* « *me : Ego sum via, veritas et vita* » : qui sacer textus, a Deo explanatus, ad hoc supremum præceptum ducit : « *Si vis regnare mecum, porta crucem* « *mecum.* » Fidelis, crucem portare paratum sese professus, a Deo collaudatur et hac de cruce cogitatione incensus, vult usque ad mortem portare crucem fratresque omnes ut idem faciant invitat.

Cap. LVII : Dominus, hoc animo fidelem esse videns, ultimum eum excitat ut duas virtutes, maxime necessarias, consequatur, scilicet patientiam in adversis et ad sustinendas tentationes animi firmitatem. — Spem ponit Fidelis in Domino, qui eum his monitis corroboravit, et via salutis æternæ perducit.

Cap. LVIII : Dominus, jam dicendi finem facturus, jubet ne quis scrutetur judicia Dei, qui hos extollit ad summum illosque evertit ; ne quis disputet de meritis Sanctorum, « quis alio sit sanctior aut quis major « fuerit in regno cœlorum » : Sanctos omnes Deus « præscivit ac præ« destinavit ; » solus est sanctus in illis ; omnes in illo uniuntur atque æquales sunt. Quanto satius est precibus et lacrymis eorum auxilium invocare, ut simus vel ultimi inter Sanctos, in hoc perfectæ felicitatis domicilio, cujus janua humili ac pauperi aperitur, si in veritate ambulavit.

Cap. LIX : Fidelis summa sese fiducia Domino committit, petitque ut anima sua fiat Domino « habitatio sancta, » templum divina majestate non indignum. Respiciat ergo Dominus in pauperem servulum suum, eumque misericordia sua dirigat, « inter tot discrimina vitæ corruptibilis, ad patriam perpetuæ claritatis. Amen. »

LIBER QUARTUS

Lectio prima. — Cap. I : Fidelis, qui in hoc libro nuncupatus est Discipulus, postquam Dominus omnes ad sacram communionem invitavit, grates agit Domino quod dignatur sibi, indigno et infirmo peccatori, divinum immortalitatis alimentum offerre, laudatque magnitudinem tanti beneficii ; queritur quod Christiani omnes, quum iis solis tali cibo vesci liceat, hunc negligunt aut tam frigide ac segniter accipiunt.

Cap. II, III, IV : Pergit ineffabilem Sanctissimi Sacramenti virtutem ac Salvatoris Jesu infinitam bonitatem laudibus efferre.

Lectio secunda. — Cap. V : Dominus eum monet quantis officiis fungi debeat qui sacerdos sacra mysteria celebrat.

Cap. VI : Domine, doce me quæ sint hæc officia.

Cap. VII : Dominus, enumeratis peccatis et vitiis quæ Fidelis castigare et eluere debet ut sancto sacerdotis ministerio dignus sit, veniam pollicetur, si illum pænitebit, si sanabitur.

Cap. VIII : « Sicut me ipsum, inquit Dominus, in cruce sponte obtuli, « ita debes et tu temet ipsum quotidie in oblationem puram et sanctam « offerre. »

Cap. IX : Pulchram edit Fidelis oblationis, pœnitentiæ, boni propositi formulam, Deum quoque invocat pro proximis et amicis, pro Fidelibus vivis aut mortuis, qui divini sacrificii participes sunt, denique pro omnibus qui eum contristaverunt aut quos ipse contristavit.

Lectio tertia. — Cap. X : Eum Dominus hortatur ut frequenter ad communionem sicuti « ad fontem gratiæ » recurrat : Diaboli fraudes caveat, « omni modo et occasione » nitentis, seu conquassata nostra fide, seu aliis impugnationibus, ut Fideles « omnino communionem relinquant, aut cum tepore accedant ; » — ne avertatur a communione anxietate omissæ alicujus in confessione culpæ ; consulat sapientes ; si læsa fuerit conscientia, citius confiteatur ; « omnes offensiones aliis libenter » indulgeat et, si quem offenderit, veniam humiliter precetur ; — ne tardet confessionem aut differat communionem, sed sit semper paratus sacrum remedium accipere ; — si qua necessitate fuerit impeditus, saltem « ad « spiritualem Christi communionem » accedat, « divinum Incarnationis « mysterium et Passionem Christi » recolendo ; — ne tantum instante festo aut præscriptis diebus se præparet ; se vero « Domino in holo« caustum offerat, quoties celebrat aut communicat ; — ne sit in cele« brando nimis prolixus aut festinus. »

Cap. XI : Discipulus miram suavitatem expromit cælestis hujus convivii, in quo vere præsenti Deo, quamvis aliena specie occultato, fruitur, donec hac mortalitate liberatus, eum in majestate et gloria contempletur. Vult, Sanctorum fretus exemplo atque eadem fide impulsus, cælesti alimento roboratus et meditatione Scripturarum librorumque quos scripsere sancti Doctores, sese sacerdotali ministerio dignum efficere.

Lectio quarta. — Cap. XII : Deus eum monet ut ad recipiendam Eucharistiam cordis habitaculum præparet, quod non faciet nisi gratia subvenerit.

Cap. XIII : Dicit Discipulus se cupere « cum Deo totum uniri et absorberi, » rerum terrestrium omnino oblitum. Magnitudinem tanti beneficii celebrat Christianæque plebis felicitatem, quam solam Deus carne sua pascit. « Dignare, Domine, manere mecum, ego volo libenter esse « tecum. »

Cap. XIV : Attamen post hunc generosum impetum, fit denuo segnior : illum enim pudet quod ad sacrum Convivium tam tepide veniat, quum tam « multi devoti » ad prandium illud tanto fervore et amore, tanta

aviditate accedant, ut lacrymæ etiam eorum ex oculis erumpant; supplicat igitur ut sit ejusdem amoris, ejusdem fidei particeps.

Cap. XV : Dominus ei nuntiat « devotionis gratiam » ei subventuram, si eam plane ex animo flagitabit, si ea dignus fiet: dignus autem gratia fiet si se totum Deo tradiderit, si sibi morietur, si se in manu Dei humiliabit, nunquam dejectus, sed semper sperans divinum auxilium rediturum.

Cap. XVI : Ingeminat preces Discipulus : « Erige, inquit, cor meum in « cælum, illumina cæcitatem meam claritate præsentiæ tuæ. »

Cap. XVII : Sese ardenti amore accensum esse sentit, verbisque magnificis hos animi affectus effundit.

Cap. XVIII : Dominus admonitiones claudit, ut incepit, hoc præcepto : ne quis temerario funestoque cognoscendi studio scrutari divina mysteria velit, sed potius humili ac beata simplicitate « credat verbis Dei, credat « Sanctis ejus et Prophetis; pergat cum simplici et indubitata fide; cum « simplici reverentia ad Sacramentum accedat » magnaque in illum Deum fiducia qui non fallit et cujus opera, in cælo et in terris, non ea sunt quæ ab humana ratione terminentur.

Ea est series centum quatuordecim capitum Imitationis. In hoc tam longo cursu, bis tantum continuationem scissam esse inveni, scilicet libri primi in capite XVI, et libri tertii in capite XXIV, quum utriusque capitis duæ ultimæ portiunculæ aut transpositæ aut adjectæ esse videantur (1).

(1) Idem forsan censeas de extremis lineis capitis XXVII libri tertii (*Da prudenter*, etc.), capitisque XLIV ejusdem libri (*O Domine, quousque*, etc.), nec non et capitis X libri quarti (*Non sis in celebrando*, etc.) : quos quidem locos non bene reliquis aptari dicas.

FINIS APPENDICIS

INDEX

LOCORUM QUÆ EX IMITATIONE EXCERPTA SUNT AUT NUMERIS SUIS INDICATA

INDEX CAPITUM

Excusum Andegavis a Lachèse et Dolbeau, typographis, via Sancti Petri, 4.

VIDI AC PERLEGI

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. XVIII Kal. febr. anni MDCCCLXXXXI,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR

Academiæ Parisiensis Rector

GRÉARD.

re Libri de
963

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

963